597
B897
Rare Books

MARTINI TH. BRUNNICHII

RERUM NATURAL. ET OECONOM. IN UNIV. HAFN.
LECTORIS PUBLICI

ICHTHYOLOGIA
MASSILIENSIS,

SISTENS

PISCIUM DESCRIPTIONES

EORVMQVE

APUD INCOLAS NOMINA.

ACCEDUNT

SPOLIA MARIS ADRIATICI.

HAFNIAE ET LIPSIAE,
APUD ROTHII VIDUAM ET PROFT,
CIↃ IↃCCLXVIII.

1768

621.4
B88
1768
SCNHRB

153186

SOCIETATI
REGIAE
SCIENTIARUM,
QVAE
HAFNIAE
FLORET,

SMITHSONIAN
NATIONAL MUSEUM
INSTITUTION

Brünnich, Mort. Th

SUB

PRAESIDIO

EXCELLENTISSIMI ET ILLUSTRISSIMI

COMITIS

OTTONIS THOTT,

DNI IN GAVNÖE, LINDESVOLD ET STRANDEGAARD, ORDINIS ELEPHANTINI EQVITIS AURATI, INTER SANCTIORIS CONSILII PROCERES CONSILIARII INTIMI,

CANCELLARIAE DANICAE PRAEFECTI PRIMARII, REI ECCLESIASTICAE PER UTRUMQVE REGNUM GENERALIS INSPECTORIS,

COLLEGII DE CURSU EVANGELII PROMOVENDO PRAESIDIS,

VNIVERSITATIS HAFNIENSIS PATRONI, SCHOLAE HERLOVIANAE ANTISTITIS etc. etc.

ERUDITIO, DIGNITAS, VALOR, quibus ornantur FULGENTIA TUA MEMBRA,

SUMTUS MAXIMI, quos impendis, ut DANIA SIBI & ALIIS innoteſcat,

FAVORES INSIGNES, quibus illos proſequeris, qui monſtrant quantum valeant artes, & quantum polleat induſtria,

me jubent

EXILE HOC ET LONGINQVVM MUNUS

TIBI

SACRARE

Viennæ Auſtriæ
d. 29 Januarii 1768.

M. TH. BRUNNICHIUS.

PRAEFATIO.

Sub nomine *Piſcis* comprehenderunt veteres animalia omnia, in aquis continuo vel plerumque degentia. Hinc claſſem piſcium una cum *cetaceis* intrarunt *quadrupedia* & *aves* nonnullæ, *teſtudines*, *lacertæ* & *ranæ* pleræque, inſectorum aliqua & *molluſca*: nec aliter etiam hodie apud multos propter fercula audiunt. *Aquatica* tamen ab *amphibiis* diſtinguere ſuaſit vivendi ratio. Prodiere in theatro novi ICHTHYOLOGI, qui meliora poſt examina multos veterum piſces ſuo è piſcatorio ejecerunt, illis ſolum retentis, qui branchiis reſpirant pinnisve natant. Adhuc ſub eo vexillo militabant belluæ oceani, *Cetacea*, quæ ob

pinnas natatorias piſces, ob ſtructuram anatomicam quedrupedia, nominibus adeo contrariis, vocarentur. *Monſtra* hæc *naturalia*, diu inter Scyllam & Carybdim natantia, tandem ob mammas lacteſcentes inter *Mammalia* introducuntur, cui titulo poſt id tempus quadrupedia omnia ad hominem usque reſpondent *). *Animalia* jam reſtant *branchiis reſpirantia*, *pinnis natantia*, *piſces audientia*. Organa autem reſpiratoria hujus claſſis neceſſariam requirunt diviſionem: Branchiis nempe adnatis ſimul ac pulmonibus reſpirant alii, branchiis liberis ſolis ſpirant reliqui. Hos *piſces* dixerunt omnes, illos inter amphibia *nantes* recte ſatis vocavit Illmus Eques Dnus a LINNE' **), *cartilagineos* ingenioſe Dnus BRISSON. Abſentia pinnarum ventralium, earum præſentia, ſitus varius ac figura ad ſitum & figuram pedum in volatilibus reſpondet; prout enim ab his varius pendet volatilium motus & vivendi ratio diverſa, ita piſces *apodes* non degunt cum *pedatis*, nec in his *iugulares* &

*) Prætereo tentamina varia novorum ſyſtematum, quæ ingenia Auctorum magis quam veritatem indicant.

**) Vid. *Syſt. Nat.* Tom. I. p. 348. ed. 12ma Holm. 1766.

& *thoracici* paſcuntur cum *abdominalibus*, quorum maxima pars fluvios ſubit. Situs ani, à ſitu pinnarum ventralium multum pendens, in diviſione claſſis generaliori non prætereundus mihi videtur. *Ordines* igitur è datis characteribus dignoſcere eſt neceſſarium; ſpecialioribus determinantur *genera*. Figura capitis & reliqui corporis, eorumque ſuperficies varia una cum linea laterali, dein oculorum ſitus, oris ſtructura, ejusque inſtrumenta huc requiruntur; nec *genus* absque eorum congruentia eſt condendum. Membranæ branchioſtegæ radios poſt ARTEDIUM in characteribus genericis aſſumpſit LINNE′ eumque ſecutus eſt GRONOVIUS aliique. Collatis autem horum radiorum numeris datis, quanta apud Auctores differentia, quanta incertitudo! Interdum enim membrana adeo occulta jacet, ut difficile vel nequaquam absque ſeparatione in piſce integro poſſit examinari; nec radiorum numerum habemus in piſcibus, quorum cognitio debetur Auctoribus præcedentis ævi. Errores hinc committuntur bene multi, quorum haud pauci è collatis meis & auctorum deſcriptionibus patebunt. Characterem hunc adhuc incertiorem reddit numeri varietas in ſpecie-

 bus

bus nonnullorum generum, e. g. *Percæ*, *Gaſteroſtei* & omnium fere abdominalium. Melius igitur in tantum ſequendum eſt exemplum celeberrimi Angli Dni GARDEN, qui radios hujus membranæ, una cum reliquis pinnarum, in qualibet ſpecie piſcium Carolinenſium numeratos affert. Radios pinnarum numerare inanem laborem exiſtimant multi, ſuamque opinionem exemplis auctorum probatam putant, nec ſine ratione, fere enim quilibet deſcriptor piſcis ab aliis diſcedit in numero radiorum vel ſpinarum hujus aut illius pinnæ determinando. Numerum radiorum pinnalium interdum variare non plane eſt negandum; ſæpius enim ſub examen revocavimus ejusdem ſpeciei ſpecimina plura, quoad radios inprimis dorſales vel anales diverſa, nunquam tamen tanta occurrit differentia, quanta indicatur *) inter LINNEI & GRONOVII *Ophidion imberbe*, in quo HIC numerat radios D. 79. P. 11. V. 0. A. 41. C. 18, ILLE putat eosdem D. 147. P. 26. V. 0. A. 101. C. --- conferantur *Xiphias* & multi alii. Differentiam ſummam tres vel quatuor ſuperaſ-

ſe

*) *Linn. Syſt. Nat.* Tom. I. p. 431.

ſe radios nunquam obſervavi, imo plurima individua ejusdem ſpeciei numero radiorum pinnalium exacte convenire deprehendi. Pinnas ventrales numero radiorum variaſſe vix exſtat exemplum fide dignum, omnes enim differentiæ, circa has allatæ, merito in ſuſpicionem ducuntur. Ex allatis itaque patet, quomodo numeri radiorum pinnalium definitam ſpeciem confirment, &, ubi nullus alius character evidens adfuerit, ſpeciem conſtituant. De characteribus piſcium ulterius dicam, quando alium, quem jam molior tractatum, luci dabo. Interim characteres genericos in *Sparo*, *Labro* & *Perca* à Dno LINNE' datos, quoniam vix ſufficientes, hic apponam mutatos. *Sciænam* ut genus diſtinguere peculiare è characteribus datis nondum fui perſuaſus. Linneani non ſufficiunt, ex unica autem ſpecie, quam examinandam habui, genus condere nimis foret temerarium. Errorem ſubrepſiſſe puto in *Gadi* definitione, quæ in Syſtemate Linneano exſtat, verba enim *pectorales in acumen attenuatæ* ſine dubio ita ſint mutanda: *Ventrales in acumen attenuatæ.* En genera:

SPA-

SPARUS *Corpus* oblongo-ovatum, compreſſum.
Caput læve ſquamoſum. *Opercula* integra,
Membrana branchioſtega ſex-radiata.
Os dentatum, *inciſores* validi, *molares* conferti.
Maxilla ſuperior ductilis. *Labia* parva.
Pinnæ ventrales 6-radiatæ, cum ſquama laterali ſtricta utrinque adjacente.
pectorales, in acumen elongatæ.
dorſalis unica, in foſſula dorſi plicatilis.
caudalis plerumque bifida.
Linea lateralis cum dorſo parallele arcuata.
Anus ——

LABRUS *Corpus* ovato-oblongum, compreſſum.
Caput ſquamoſum læve, *Opercula* integra, *anterius* raro ſerratum *).

Mem-

*) Operculum anterius in nonnullis *Labris* ſerratum affinitatem eorum cum *Percarum* genere monſtrat; forte, collatis ſpeciebus, peculiare genus intermedium formari poſſet.

Membrana branchioſtega 5 vel 6 radiata.
Os dentatum, *inciſores* acuti.
Labia carnoſa, plicata, magna.
Pinnæ ventrales 6-radiatæ.
pectorales rotundatæ.
dorſalis unica, radii antici ſpinoſi, poſtice ramentis filiformibus aucti.
caudalis plerumque integra.
Linea lateralis antice dorſo parallela, poſtice oblique declinata.
Anus ——

PERCA *Corpus* oblongum, compreſſum.
Caput ſquamoſum, *Opercula* ſerrata v. dentata.
Membranæ branchioſt. radii numero diverſi, 3-7.
Os dentatum; *Labia* parva.
Pinnæ ventrales 6-radiatæ.
pectorales ſubacutæ.
dorſalis una vel duæ.
caudalis, integra bifida v. trifida.
Linea lateralis leviter arcuata, varie jacens.
Anus ——

Anſam

Anſam pro his & aliis obſervationibus nobis præbuit MASSILIA, piſcatoriis ditiſſimis, quam ullus alius portus hunc inter & *Liburnum*, locupletata. Obſervationibus neceſſarii libri & auctores deerant omnes, ſolum ſi exceperis Dni à LINNE' *Syſtema Naturæ*, quod mihi fuit pro itineris ſuppellectili. Piſcium igitur elaboravi ipſe deſcriptiones, & deſcriptos piſces ſpiritu vini conſervatos vel exſiccatos domum miſi, ubi, bono cum Deo redux, novos figuris illuſtrare aggrediar. Qua occaſione iterata quoque inſtituam examina circa piſces & deſcriptiones eorum apud Auctores obvias, ut ſimul luci exponantur, quæ ibi occurrant differentiæ. Has interim aliquot ſeptimanarum obſervationes, quoniam proprio ſtudio elaboratas, præire volui, ſpe fretus, fore ut eas non obiter factas deprehendat, cui deſcriptiones cum ipſis ſpeciminibus naturalibus comparandi ſuppetit occaſio. Nec dubito, quin aliquot nova & multa diſcrepantia inveniat, qui eas cum ſyſtematibus & deſcriptionibus Auctorum contulerit. Hi enim utplurimum piſces, in ſpiritu vini diuturniori tempore detentos, exſiccatos, decolores, contractos, imo interdum laceros examinarunt. Nos omnes, è mari recenter extractos, vel vivos, deſcriben-

bendos ſumſimus. E libro SALVIANI *), tardius in Italia acquiſito, didici *Petrum* GYLLIUM libellum de gallicis & latinis nominibus piſcium Maſſilienſium conſcripſiſſe, unde nomina Provincialia pauca depromſerat SALVIANUS, quæ deinde exſcripſit ARTEDIUS. Nomina hæc olim ex ARTEDIO excerpta mecum erant; ſed mirabundus, eorum nonnulla incolis plane ignota, alia minus accurate ſcripta, multa denique deficientia jam ſatis uſitata deprehendi. Ultimis igitur diebus de novo piſcatoria adibam inquirendorum nominum cauſa, adhibito ſimul pro accurata ſcriptione amicorum linguam callentium conſilio. Obſervandum quippe, vulgatam *Gallo-provinciæ* linguam adeo à gallica diſcedere, ut nemo peregrinus eam intelligat. Nomina itaque Maſſilienſia à Gallicis diſcrepare, non mirum videbitur. Piſces eosdem, ubi adeſſent plures ejusdem ſpeciei, in diverſis etiam regionibus ſub examen ſæpius revocavimus, ut notæ vacillantes à characteribus fixis diſtinguerentur. Ordinum & generum characteres, in Syſtemate quærendi tyronibus, doctorum operam non morabuntur: unde eos tanquam minus neceſſa-

*) Hippolyti Salviani Hiſtoria Piſcium Lib. primus.

ceſſarios repetere ſuperſedi. Piſcium pinnas in branchiis, dorſo, pectore, ventre, ano & cauda literis tantum initialibus B. D. P. V. A. C. ſignificatas volui. Radios omnes uniuscujusque pinnæ indicat *numerus ſimplex* vel è *fractis inferior*, ſupra enim poſitus ſpinas monſtrat: ſic D. 15. indicat pinnam dorſalem radiis conſtare 15. muticis; D. $\frac{3}{15}$. quod è radiis 15. pinnam conſtituentibus tres ſint ſpinoſi, D. $\frac{15}{15}$. omnes radios 15. eſſe ſpinoſos ſ. pungentes. Ubi plures pinnæ diſtinctæ adfuerint, numeri quoque plures ſequuntur literam iſtam initialem, ut in *Gadis Gobiis* &c.

Conamina hæc æquo LECTORI commendo, nec ero difficilis in agnoſcendis, quos melior cenſura detexerit, defectibus, nec tardus in reſponſione ad dubia movenda. Scribebantur VIENNÆ AUSTRIÆ d. 29 Januarii 1768.

PISCES MASSILIENSES.

I. RAJA TORPEDO.

RAJA corpore plano, ovato, lævi, caudato.

Salv. piſc. 142. 48.
Maſſilienſibus ESTROPIJO, aliis TREMOULETI, aliis DORMIGLIOSE.

DESCR. *Corpus* ovatum, depreſſo-planum, poſtice utrinque inciſo-anguſtius. *Cauda* teres. Totus piſcis lævis. *Oculi* minuti in medio dorſi, pollicis diſtantia à margine anteriori et ¾ pollicis ſpatio invicem remoti, profunde latentes.

Pone eos ſpiracula 2. majora umbilicata cirris 7. circumdata. *Dorſum* fuſco-ſanguinolentum, maculis ſparſis obſcurioribus varium. Margines laterum crenulati. *Pinnæ* in dorſo caudæ 2. *Pinnæ caudalis* lobus ſuperior major. *Corpus* ſubtus album. *Spiracula* 5. ſubtus utrinque ad pectus. *Magnitudo* pedis et infra.

NOT. VARIETAS eſt nobis ignota, quam depinxit SALVIANVS, deſcripſitque Dnus à LINNE', maculis 5. atris orbiculatis, in formam pentagoni diſpoſitis.

2. RAJA OXYRINCHOS.

RAJA dorſo lævi, cauda ſupra tuberculis decem aculeata.

Salv. piſc. 148. 52.
Maſſilienſibus FLOSSADE.

3. RAJA MIRALETUS.

RAJA cauda tripliciter aculeata, alis ſupra ocellatis.

Salv. piſc. 148. 51.
Maſſilienſibus MIRALLET.

4. RAJA AQVILA.

RAJA corpore glabro, aculeo longo ſerrato in cauda pinnata.

Salv.

Salv. piſc. 144. 50.
Maſſilienſibus LANCETTE.

NOT. Aculeum in corpore piſcis, quem vulnerat, interdum fractum relinquit.

5. RAJA CLAVATA.

RAJA aculeata dentibus tuberculoſis, cartilagine transverſa abdominali.

Maſſilienſibus CLAVELLADO.

6. SQALUS ACANTHIAS.

SQVALUS pinna ani nulla, dorſalibus ſpinoſis corpore teretiuſculo.

Salv. piſc. 135. 43.
Maſſilienſibus AQVILAT.

7. SQVALUS CENTRINA.

SQVALUS pinna anali nulla, dorſalibus uniſpinoſis, corpore transverſim ſubtriangulari.

Salv. piſc. 156. 157. 56. 57.
Maſſilienſibus PORC.

8. SQVALUS ZYGÆNA.

SQVALUS capite latiſſimo, transverſo, malleiformi.

Salv. piſc. 128. 40.
Maſſilienſibus PEÏ-IOUZIOU, quod capitis tempora, ceu cornicula, promineant Judæorum more, qui ſic olim *Maſſiliæ* induebantur. *Salv.*

NOT. Piſcis inter *Maſſiliæ* rariores, nec eum in piſcatorio vidi, unum autem ibi captum poſſidet muſeum *Maſſiliæ* inſtructiſſimum Dni VEYER.

9. SQVALUS GALEUS.

SQVALUS naribus ori vicinis, foraminibus ad oculos.

Salv. piſc. 130. 41.
Maſſilienſibus PAL.

NOT. Piſcem è SALVIANO attuli, qui eum inter Maſſilienſes refert, quomodo autem à ſequenti differt, mihi non ſatis conſtat.

10. SQVALUS CANICULA.

SQVALUS varius, inermis, pinna ani medio inter anum caudamque pinnatam.

Salv.

Salv. piſc. 137. 45.
Maſſilienſibus GAT-AUGHIER.

11. SQVALUS CATULUS.

SQVALUS dorſo ocellato mutico, pinnis ventralibus concretis, dorſalibus caudæ approximatis, capite punctato.

Salv. piſc. 137. 46.
Maſſilienſibus nomine antecedentis dicitur, item alio, ambabus ſpeciebus magis communi, GAR; porro aliis GATUSIO vocatur.

12. SQVALUS SQATINA.

SQVALUS pinna ani nulla, caudae duabus, ore terminali, naribus cirroſis.

Salv. piſc. 151. 53.
Maſſilienſibus PEÏ-ANGE, quod angelum expanſis alis æmulatur.

13. SQVALUS CARCHARIAS.

SQVALUS dorſo plano, dentibus ſerratis.

Maſſilienſibus L'AMI.

NOT. Capiebatur tempore, quo *Maſſiliæ* fui, piſcis ejus ſpeciei, 15 pedum longitudine.

Major duos abhinc annos occidebatur, hærens in littore urbes inter *Caſſidem* & *la Ciotat*. Ventriculo tenuit duos *Scombros thynnos*, parum læſos; hominemque integrum cum veſtitu omnino intactum, omnes ut apparuit breve ante tempus devoratos. Teſtes oculati, inter multos alios, fuere Dnus GARNIER, *Secretarius Regis Galliæ*, qui præclara corallii rubri fabrica urbis *Caſſidis* pauperes ſublevat multos, ut & Rev. Dnus BOYER, *Parochus* urbis *la Ciotat* dictæ: uterque eruditione ſimul ac fide ſatis pollentes.

14. SQVALUS EDENTULUS.

SQVALUS capite lato, plano, maxillis oſſeis edentulis, ſuperiore longiore, lateribus capitis prominentibus.

Maſſiliæ piſcibus adnumeramus Squalum in oppoſito portu Liburnenſi aliquoties captum, cujus caput reſtat aſſervatum in MVSEO ACADEMIAE, quæ *Piſæ* floret, ubi cum venia celeberrimi Profeſſoris Dni ATTILII ſequentia annotabam:

DESCR. *Caput* latum, planum, antice quaſi truncatum, latera ſub oculis prominent duabus laciniis cutaceis longis acutis, & in ſiccato ſpecimine contortis. *Maxilla ſuperior* longior, intus munita oſſe transverſali, cujus latitudo polli-

pollicem fere æquat, ſuperficies limæ inſtar ſcabra, introrſum membrana laxa continuatur. *Maxilla inferior* cartilagineo-oſſea edentula lævis. *Latitudo* capitis circiter 3. ſpithamas æquat. *Latera* corniformia ultra caput 1 ½. ſpithama prominent. *Oculi* laterales magni.

NOT. Piſcem hunc deſcriptum neſcio. *Bovis* mentionem è genere cartilagineo facit *Salvianus* ejusque deſcriptionem in ſecundo ſuo libro, nunquam edito, fruſtra promiſit. *Squalum edentulum* anno præterlapſo obſervaſſe & deſcripſiſſe Septentrionis noſtri decus, *Nidroſienſium Epiſcopum S. Venerab. Dnum* GUNNERUM literis mihi communicavit amicus, ſed an eundem vel à noſtro diverſum docebit dies.

15. LOPHIUS PISCATORIUS.

B. 6. D. 1, 3, 11. P. 24. V. 5. A. 10. C. 6.

LOPHIUS depreſſus, corpore rotundato, caudato.

Salv. piſc. 139. 47.
Maſſilienſibus BAUDREUIL.

NOT. *Mandibulæ ſuperiori* inſidet *radius* oſſeus apice lobo membranaceo lacero, quo piſcatur, inſtructus; huic radio utrinque adjacet brevis *cirrulus*, poſtice autem ſimilis *radius decumbens* absque apice membranaceo. Similis

 alius

alius in *medio* dorſi decumbit; aliquo intervallo diſtat *pinna* triradiata. *Dorſum* denique *caudæ pinna* XI-radiata inſtruitur. *Margo totius corporis* lobis membranaceis innumeris undique lacerus, id quod aliquo modo in figura expreſſit SALVIANUS. *Magnitudo* valde differt, ſunt enim qui 2 pedes longitudine excedunt.

16. TETRODON MOLA.

TETRODON lævis, compreſſus, cauda truncata, pinna breviſſima dorſali analique connexa.

Salv. piſc. 154. 55.
Maſſilienſibus MOLE.

NOT. In piſcatorio raro venditur, nec caro bona. Inter *Antiben* & *Genuam* nobis viſus eſt ſuperficiei maris innatans dormiensque, ideoque navem non obſervabat appropinquantem, è qua in mare exſiliit nautarum unus, ut piſcem ſaltu ſimul & amplexu caperet.

17. CENTRISCUS SCOLOPAX.

B. 4. D $\frac{4}{4}$ 12. P. 14. V. 5. A. 18. C. 9.

CENTRISCUS corpore ſquamoſo ſcabro, cauda recta extenſa.

Maſſilienſibus CARDILAGNO.

DESCR.

DESCR. *Corpus* oblongo-ovatum, compreſſum, pallide rubrum, ſquamis ſcabris tectum. *Caput* ſurſum mobile, productum in roſtrum longum, tubulare, teres, anguſtum; *Apex* operculo maxillæ inſtar inferioris clauditur. *Iris* oculorum argenteo-rubeſcens. *Latera capitis* ante operculum margine ſerrata. *Operculum* monophyllum, integrum. *Pinnæ pectorales* longæ acutæ, *dorſales* caudæ propiores, approximatæ, anterior conſtat ſpinis quatuor, quarum prima pollice longior validiſſima, introrſum dupliciter aculeata, articulata in dorſo piſcis ſupra loricati. Ante hanc pinnam ſpina diſtincta breviſſima vix obſervanda. *Pinna poſterior* brevis. *Pinnæ ventrales* parvæ, in carina occultatæ, baſi connexæ. *Anus* poſtice, ante hunc ſpina adeſt brevis. *Pinna caudæ* ſublunata. *Magnitudo* fere ſpithamæ.

18. SYNGNATHUS PELAGICUS.

SYNGNATHUS pinnis ventralibus analique nullis, corpore ſeptem angulato, cauda quadrangulari.

Salv. piſc. 68. 7.
Maſſilienſibus GAZONE et GASANE.

NOT. Foemina portat ova ſua intra membranam, corpori ſubtus inde ab orificio ani usque ad ⅓ partem caudæ adnatam.

19. SYNGNATHUS HIPPOCAMPUS.

D. 20. P. 16. V. 0. A. 4. C. 0.

Syngnathus pinna caudæ quadrangulæ nulla, corpore ſeptem angulato tuberculato, cirroſo.

Maſſilienſibus - - - -

Descr. *Corpus* cataphractum, è flavo viridescens, punctis albis aſperſum. *Caput* surſum mobile, antice deſinens in *roſtrum* tubuloſum læve, apice operculari maxillæ inferioris loco inſtructum; infra oblique cingitur ſpinis 6. *Tuberculus* ante roſtrum inter oculos unicus, ſupra oculis tuberculi duo, cirris inſtructi, pone quos 3. alii, in fronte transverſim poſiti, itidem cirris terminati; dein 4. verticis in quadrangulum diſpoſiti, cirroſi. *Nucha* breviter carinata. *Dorſum* ſupra tuberculis cirroſis utrinque quaſi muricatum, medio depreſſum. In corpore antico tuberculorum ſeries 6. longitudinaliter diſpoſitæ. Tuberculi lineis elevatis transverſis corpus cingentibus inter ſe cohærent. Abdomen ventricoſum, carina quinqueloba nigra prominens. Hæc abdominis carina & tuberculorum ſeries ſex, jam antea deſcripti, corpus reddunt antice ſeptem-angulare. Pone pinnam dorſalem ſuperne ſinu attenuatur corpus, hic quadrangulare, muricatum tuberculo-

culorum ſeriebus 4. deinceps duabus tantum dorſalibus, quæ in *cauda apterygia* ſenſim evaneſcunt. *Pinna dorſalis* limbo nigro margine flaveſcente picta. *Pinna analis* pone anum*). *Laminæ corporis* usque ad anum 12, reliquæ 37.

NOT. Deſcriptio Dni à LINNE à noſtra in multis diſcedit, piſcis tamen idem eſt. Unum tantum ad examinandum habuimus ſpecimen, an ſexu diverſum?

Piſce hoc combuſto & in pulverem redacto contra lac coagulatum mulierum utuntur *Dalmatini*.

20. MURÆNA HELENA.

MURÆNA corpore variegato, pinnis pectoralibus nullis.

Salv. piſc. 59. 2.
Maſſilienſibus - - - -

21. MURÆNA SERPENS.

MURÆNA cauda aptera, corpore tereti.

Salv. piſc. 57. 1.
Maſſilienſibus SERPENTE DE MARE.

NOT.

*) Ante anum pinnam hanc collocatam eſſe adnotavit LINNE' in *Syſt. Nat.* Tom. I. p. 417.

NOT. Rarius occurrit hæc ſpecies, cujus ſpecimen juxta inſulam *Riou* captum poſſidet in muſeo *Dnus* VEYER.

22. MURÆNA ANGVILLA.

MURÆNA maxilla inferiore longiore, corpore unicolore.

Salv. piſc. 64. 4.
Maſſilienſibus ANGVILLE.

23. MURÆNA MYRUS.

B. 10. D--- P. 16. V. 0. A-- C--

MURÆNA pinna ambiente alba margine nigro.

Salv. piſc. 66. 5.
Maſſilienſibus FIRADE aliis FILAS v. FILAT.

DESCR. *Corpus* elongatum teres, poſtice enſiforme; totum cinereum, ſubtus album. *Caput* depreſſum, antice anguſtius, ſupra longitudinaliter canaliculatum. *Os* obtuſum. *Maxillæ* & *palatum* multidentata. *Maxilla ſuperior* ultra inferiorem paululum prominet. *Labium* ſimplex, non ductile, ſummo apice tentaculis duobus breviſſimis tubuloſum. *Oculi* cute communi capitis teguntur, transparentque *iride* fulgente lutea. *Membranæ branchioſtegæ* radii decem per cutem transparent. *Apertura branchiarum* eſt foramen magnum ante pin-

pinnas pectorales. *Maxilla inferior* utrinque poris ſeptem longitudinaliter perforatur. *Porus* utrinque ad canthos oris, alius ante ſingulum oculum, 6. in extremitate roſtri, quorum ultimum par in ſummo apice. *Latera capitis* argentea. *Pinnæ pectorales* breves; *ventrales* nullæ. *Anus* paulo ante medium corporis, pone quem *pinna analis*, quæ una cum *dorſali*, pollicis diſtantia à nucha incipiente, corpus poſtice ambit, & unam efficit pinnam albam margine nigram. *Cauda* acuta. *Linea lateralis*, ad nucham incipiens, dorſo propior, recta, antice ex guttis albis formata, quæ poſtice in lineam degenerant ad caudæ apicem excurrentem. *Magnitudo* 3 ſpithamarum & ſupra.

NOT. An ſatis diſtinctus à *Muræna congro* LINN. qui forte idem eſt piſcis.

24. GYMNOTUS ACUS.

B. 5. D. 0. P. 16. V. 0. A. 60. C. 0.

GYMNOTUS nudus, dorſo, ventre caudaque apterygiis, pinna anali ante apicem caudæ terminata radiis LX.

Maſſilienſibus FIERASFER.

DESCR. *Corpus* nudum, compreſſum, elongatum, attenuatum, acutum. *Color* albidus maculis rubeſcentibus fuſcisque virgatis nebuloſus, in ventre ad cœruleſcentem inclinans.

Caput

Caput cute communi tectum lateribus compreſſum, antice obtuſum. *Maxilla inferior* brevior, utraque una cum *fauce* multidentata: *Oculi* in roſtro. *Iris* argentea. *Vertex* & *Occiput* cute tenuiori tecta, apparent quaſi decoriata. *Apertura branchiarum* magna, *opercula* & *membrana branchioſtega*, quæ quinque-radiata, cute capitis communi teguntur. *Pinnæ pectorales* parvæ, acutæ, radiis ſubtiliſſimis vix numerandis, infra viginti, conſtant. *Ventrales* nullæ. Anus è regione baſeos pectoralium, ideoque capiti proximus. *Abdomen* carnoſo-carinatum, ſutura carinam utrinque ab abdomine diſtinguente. Continuatur carina iſta, usque ad pinnam ani, cum qua in poſtica corporis parte coaleſcit. *Pinna ani* $\frac{3}{4}$ pollicis diſtantia ante apicem caudae finitur. *Dorſum* apterygium rudimento quaſi pinnæ dorſalis læviſſime carinatum. *Cauda* cum reliquo corpore ſenſim attenuata, acuta, aptera. *Linea lateralis* ſupra pinnas pectoris incipiens, ſuturalis recta, ante apicem caudæ evaneſcit. *Longitudo* totius $1\frac{1}{4}$ ſpithamæ.

NOT. *Tentacula* labii ſuperioris, quæ characteribus genericis addit Syſtema Linneanum, in noſtro non ſunt obſervata.

Piſcis mihi eſt novus & unica vice in piſcatorio viſus. Ex definitione liquet eum propius accedere *Gymnoto Caraponi*, à quo maxime differt numero radiorum pinnæ analis, qui in *carapone*

rapone 200 numerantur ſecundum Syſtema Linneanum.

25. OPHIDIUM BARBATUM.

B. 7. D. 150. P. 20. V. 0. A. 127. C --

OPHIDIUM maxilla inferiore breviore; cirris quatuor gularibus.

Maſſilienſibus CORUDGIAO.

DESCR. *Corpus* totum, *excepto capite*, punctis rotundatis oblongisque pallidis innumeris undique velut excavatum. *Caput* cute molli glabro carnei coloris circumdatum. Per cutem translucent *oculi iride* fulgente & *opercula* lutea. *Mandibula ſuperior* duplicata ultra *inferiorem* breviorem prominet. *Gula* cirris 4. albis, longitudine pollicis in una baſi connexis, inſtructa. *Pinnæ pectoris* breves acutæ radiis intricatis curvis difficile numerandis. *Anus* ante medium corporis. *Pinnæ ventrales* nullæ. Pone *anum* incipit *pinna* ejus, quæ cum *dorſali* pollicis diſtantia à nucha incipiente, corpus poſtice circumdat unita, alba margine nigro. *Linea lateralis* maculis pallidis corporis concolor, ad nucham incipit, dorſo propior, recta, ante caudam evaneſcit. *Cauda* attenuata, apice obtuſa. *Magnitudo* 1½ ſpithamæ.

NOT.

NOT. Speciem hanc puto eandem eſſe cum Linneana illa *barbata* dicta, licet deſcriptionibus differant; pinnis enim pectoralibus, quæ in noſtra adſunt deſtituitur illa; numerus quoque radiorum pinnæ dorſalis analisque in ambabus diverſiſſimus. Pinnas pectorales quod attinet, forte error typographi, qui *P. o* pro *P. 20* legerit; ſiquidem earum abſentiam diſertis verbis non indicat Auctor. GRONOVII *Ophidium imberbe* pinnarum radiis *barbato* accedens, forte idem eſt piſcis, cirris non obſervatis, qui ſatis occulti in piſce latent.

26. STROMATEUS FIATOLA.

STROMATEUS corpore ovato lubrico ſubfaſciato, pinnis ventralibus nullis, cauda bifida.

Maſſilienſibus piſcatoribus ſub nomine FIATOLA notus rarusque.

NOT. Piſcem nunquam vidi, ideoque definitionem Syſtemati Linneano debeo. Communis ſatis circa inſulam *Elbæ* ubi CAZZO DEL RE à piſcatoribus ſalutari mihi retulit aliquis.

27. XIPHIAS GLADIUS.

XIPHIAS corpore teretiuſculo alepidoto, maxilla ſuperiore prolóngato enſiformi ore edentulo.

Salv.

Salv. piſc. 126. 39.
Maſſilienſibus EMPERADOR.

NOT. Rarius occurrit in piſcatorio, ubi non à me viſus. Reliquia ejus muſea ſervant.

28. CALLIONYMUS DRACUNCULUS.

B. 6. D. 4, 9. P. 17. V. 6. A. 9. C. 10.

CALLIONYMUS pinnæ dorſalis prioris radiis corpore brevioribus.

Maſſilienſibus MOULETTE.

DESCR. *Caput* corpore latius, ſemicylindricum, ſupra nempe convexum, infra planum, antice anguſtum, roſtro obtuſo. *Maxilla ſuperior* paulo longior, ſimplex, *utraque* dentibus acutis parvis munita. *Os* magnum, horizontale. *Oculi* approximati, elliptici, pupilla transverſe oblonga reniformis. *Iris* nulla ſed tenuiſſima linea alba pupillam circumdat. Regio oculorum ſubtus argentea. *Palpebræ* magnæ virides ſemilunatæ margine ſuperius prominentes, in vertice contiguæ. *Latera capitis* poſtice terminantur ſpina triplici vel quadruplici calcaris inſtar. *Opercula* clauſa ſed in nucha utrinque foramine reſpiratorio patent. *Corpus* reliquum depreſſo teres; *abdomen* planum. *Linea lateralis* ad aperturam nuchæ incipiens recta. *Anus* in antica corporis parte cirro breviſſimo

 viſſimo

viſſimo inſtructus. *Pinnæ dorſales* altæ, *prioris* radius anterior & *poſterioris* radii omnes ad baſin usque caudæ elongati. *Pinna ani* magna, *caudalis* longitudine pollicis integra. *Color* totius piſcis ſupra pallide virens, pellucidus, in palpebris naſoque ſaturatior: *Thorax* ſupra rubeſcens, latera capitis & totius corporis guttis argenteis per ſeries diſpoſitis punctata: *Pinnæ dorſales* plicatæ nigræ apparent, explicatæ autem albo guttatæ, poſterior maculis rotundatis viridibus terfaſciata; *pinnæ pectoris* & *caudæ* pallide vireſcentes; *ventrales* minutiſſimis punctis albis circulo nigro incluſis ocellatæ, apice nigræ. Abdomen niveum. Reliquum corpus ſubtus pallidum. *Longitudo* fere ſpithamæ.

NOT. Ex deſcriptione & radiorum pinnalium numero videtur in multis convenire cum *Callionymo lyra*, in aliis autem cum *dracunculo*, qui invicem ab Auctoribus haud ſufficienter diſtinguuntur.

29. URANOSCOPUS SCABER.

B. 6. D. 3, 15. P. 16. V. 5. A. 14. C. 12.

URANOSCOPUS capite magno oſſeo depreſſo ſcabro, oculis verticalibus, ore ſimo.

Salv. piſc. 196. 72.

Maſſilien-

Maſſilienſibus RASQVASSO BLANCO, et ſic à *Raſquaſſo*, qui illis *Scorpæna* ſignificat, diſtinguitur. Nomina impudica Maſſilienſium TRAPECON et RASPECON, quæ poſt *Petrum Gyllium* huic piſci tribuit *Salvianus*, hodie *Maſſiliæ* non ſunt familiaria.

NOT. In hujus deſcriptione obſervari meretur pupilla minuta, cujus parti ſuperiori ſuperjacet membranula minutiſſima quinqueloba, quæ retrahi poteſt ſub palpebram, qua preſſa iterum prodit. Porro: *Maxillæ inferioris* labio intus adhæret membrana producta in filamentum anguſtum, tenue, longitudine pollicem ſuperans, quo forſan in mari piſcatur. Hæc ab auctoribus non video obſervata.

30. TRACHINUS DRACO.

B. 6. D $\frac{6}{6}$. 30. P. 16. V. 6. A. 32. C. 12.
- - - - - 27. - - - - - - - - 29. -----

TRACHINUS capitis lateribus compreſſis; vertice ſcabro depreſſo, ano capiti vicino.

Maſſilienſibus ARANJO, aliis VIVER.

DESCR. *Corpus* elongatum anguſtum, ſubcompreſſum. *Caput* minus læve, vertex depreſſus ſcaber, latera compreſſa. Branchiarum *operculum anterius* ſpina, caudam ſpectante, arma-

armatur. Ante oculos utrinque ſpinæ duæ. *Maxilla ſuperior* utrinque ſpina parva, ſupra mandibulam inferiorem extenſa, inſtruitur. *Pinna dorſi antica* ſpinoſa, fere usque ad quartam ſpinam maxima è parte nigra, cohæret per parvam membranulam cum *pinna poſtica* multiradiata, mutica. *Iris* oculorum rubina. *Colore* differunt duæ varietates, ſi non diverſæ ſpecies, quod credidit *Salvianus*, qui numerum radiorum pinnæ dorſalis anterioris in una 5. in altera 6. determinat, quem tamen ultimum in omnibus conſtantem obſervavimus.

a) *Corpus* albido-cinereum ſtriis frequentibus oblique transverſis fuſcis, interdum ad cœruleum vergentibus, pulchre depictum. *Longitudo* fere pedis & infra.

Salv. piſc. 71. P. 12.

b) *Corpus* albidum, *dorſum* & *latera dimidia* annulis oblongis ovatisque magnis fuſcis depicta, punctis quoque innumeris concoloribus irrorata. *Longitudo* pedis & ultra, antecedenti quoque latior.

Salv. piſc. 71. P. 11.

31. GADUS MERLUCCIUS.

B. 7. D. 10. 39. P. 13. V. 7. A. 39. C. 25.

GADUS

Gadus dipterygius imberbis, maxilla inferiore longiore.

Salv. piſc. 73. 13? ſed minus accurate dorſi pinnam integram delineavit.
Maſſilienſibus MERLAN, MERLOUGE.

Descr. *Corpus* elongatum ſubcompreſſum pallide argenteum. *Caput* ſupra planiuſculum, in foſſulam acutangularem, angulo caudam ſpectante, depreſſum. *Maxilla ſuperior* brevior, non ductilis, *utraque* dentibus longis acutis diſtantibus armata; *Iris* oculorum alba; *Linea lateralis* ſupra pectorales, vbi incipit, papillis minutiſſimis circumvallata, in medio corporis deſcendens, ad caudam excurrit. *Pinnæ pectorales* & *ventrales* acuminatæ; *Caudalis* integra rotundata. *Magnitudo* pedis et ſupra.

32. GADUS minutus.

B. 7. D. 12. 19. 16. P. 12. V. 6. A. 26. 17. C. 30.

Gadus tripterygius, cirratus - - - - - - - - - -

Maſſilienſibus CAPELAIN. origine impudica ob modum, quem ad eum per plateas venalem exhibendum uſurparunt.

Descr. *Corpus* 4-pollicare, oblongum, nudum, albicans. *Caput* læve; *os* magnum;

maxillæ multidentatæ. *Dentes antici* multiplicis ordinis. *Iris* oculorum lacteo argentea. *Maxilla inferior* brevior, punctis utrinque 7. perforatur; *cirrus* in mento adeſt unicus. *Naſus* cavernoſus. *Pinnæ pectorales* acutæ. *Ventralium* radii 2. extimi in ſetam longam duplicem producti. *Linea lateralis* lævis obſcura, in medio corporis ſinuoſa deſcendit et reliquum corpus æqualiter dividit. *Anus* ante medium corporis, *pinnæ anales* duæ. *Caudæ* apex acutiuſculus, ſed *pinna* ſublunata nigreſcens.

NOT. Definitiones Auctorum mihi non videntur piſcem hunc ſatis diſtinguere à Gadis *luſco* & *barbato*, quibus abſentibus ſufficientior vix determinabitur definitio, ideoque in tantum inſerviat deſcriptio. Foſſula, quam in *G. barbato* obſervat *Rev. Dnus* STROEM, caret noſter.

33. GADUS TRICIRRATUS.

B. 6. D. 54, 54. P. 16. V. 4. A. 45. C. 20.

GADUS dipterygius cirris oris tribus, pinna dorſali antica minutiſſima, radio primo longiore.

Maſſilienſibus - - -

DESCR. *Corpus* elongatum, lateribus compreſſum, pallidum, punctis minutiſſimis nigris nudo

nudo oculo vix diſtinguendis irroratum. *Vertex* violaceus; regio infra lineam lateralem cœruleſcenti tingitur colore. *Venter* argenteus. *Maxilla inferior* brevior. *Cirrus* menti unicus; in maxilla autem ſuperiore ante nares *cirri bini*. Oculorum *iris* luteo-vireſcens. *Foſſula dorſalis* brevis pone caput adeſt, in qua recumbit *pinnula dorſalis antica*, radiis cirriformibus ſubtiliſſimis 54. conſtans; radiorum primus major nudis oculis facile diſtinguendus. *Dorſum* pone foſſulam paulo elatius, *pinna alia* majori, vsque ad caudam continuata, inſtructum. *Cauda* rotunda à pinna dorſali analique diſtincta, integra, apice luteſcens. *Pinnæ pectorales* acutæ pallidæ. *Ventrales* 4-radiatæ: radii cirriformes, quorum duo interiores minutiſſimi. *Anus* ante medium corporis, pone quem *pinna analis* ſubito incipit, ad caudæ pinnam usque continuata. *Magnitudo* ſpithamæ.

NOT. *Gadus mediterraneus* Syſtematis Linneani deſcribitur monopterygius radiisque pinnarum ventralium binis tantum; hiſce differt à noſtro hic deſcripto, nihilotamen minus cum reliqua conveniant, crederem eos unius ejusdemque eſſe ſpeciei. Pinna enim dorſi anterior adeo eſt exigua, ut facile viſum effugiat nudum: ventraliumque radii duo præ reliquis ſunt minuti, nudis licet oculis viſibiles. Val-

de communis eſt hic piſcis in Oceano circa *Cornubiam Angliæ*, ibique pluries occurrit, quam in *Mediterraneo* & *Adriatico* mari, ubi nec infrequens; ideoque forte melius *Tricirratus* dicendus erit.

34. GADUS BLENNOIDES.

B. 7. D. 10. 56. P. 11. V. 2. A. 53. C. 16.

GADUS dipterygius, cirro menti, pinnis ventralibus didactylis elongatis.

Maſſilienſibus MOUSTELE.

DESCR. *Corpus* 4-pollicare oblongum, molle, leviter compreſſum. *Caput* ſupra planiuſculum lateribus compreſſum, pone oculos diacanthum. *Os* obtuſum, obliquum. *Maxilla inferior* brevior, latera utrinque ſubtus 7-punctata. *Cirrus* in mento unicus brevis. *Dentes* maxillarum minuti, acuti, conferti. *Oculi* magni, *iris* alba. *Operculum poſterius* poſtice in ſpinam mollem ſupra pinnas pectorales exit. *Dorſum* dipterygium; *pinna anterior* parva apice nigreſcens; *poſterior* ante caudam terminata, albida, margine, parte poſtica maculisque, una antice & alia in medio, nigris. *Anus* antice. *Pinna ani* à caudali diſtincta albida, poſtice nigra; *caudalis* integra, rotundata, nigreſcens. *Linea lateralis* recta, corpori obſcure impreſ-

impreſſa. *Pinnæ* ventrales conſtant è radiis duobus elongatis ſetaceis, quorum longior corporis fere dimidiam longitudinem æquat. *Pinnæ* omnes cute communi corporis veſtiuntur. *Color* totius piſcis albidus; in capite ſanguinolento-pallidus. —

NOT. Medius eſt inter *Gados* & *Blennios*. Ex habitu tamen mihi videtur melius inter *Gados* referri.

35. BLENNIUS OCELLARIS.

B. 6. D. 26. P. 12. V. 2. A. 18. C. 11.

BLENNIUS radio ſimplici ſupra oculos, pinna dorſali ſubbifida, anterius-uniocellata.

Salv. piſc. 217. 84.
Maſſilienſibus - - -

NOT. *Radius* ſupra oculos cirriformis, ſimplex, apice margineque poſtico fimbriatus. In *nucha* utrinque adeſt pupilla minuta membranacea. *Pinnæ dorſalis* radius anticus ſupra membranam eminet, longior, filiformis; in 6to & 7mo radio apicem verſus adeſt macula rotunda magna nigra, iride alba circumdata; Radius XI*mus* minor reliquis, membranæ marginem non attingit, ibique in duas quaſi dividitur pinna dorſalis quæ revera eſt unica, licet

ut duplex in Syſtemate Linneano deſcripta occurrat.

36. BLENNIUS TENTACULARIS.

B -- D. 34. P. 14. V. 2. A. $\frac{1}{25}$. C. 11.

BLENNIUS corpore nebuloſo maculato; radio ſupra oculos ſimplici; pinna dorſali unica, integra, antice unioculata.

Maſſilienſibus - - -

DESCR. *Corpus* elongatum, totum exalbidum punctis maculisque fuſcis nebuloſo-marmoreum. In dorſi lateribus maculæ ſeptem rotundatæ fuſcæ, albo venoſæ. *Caput* obtuſum, buccatum, fuſcum, ſubtus faſciis 3. transverſis albis gularibus varium. *Dentes* pectiniformes, (quod et reliquis hujus generis, quos examinavimus, competit). *Iris* oculorum argentea, rubro punctata. *Radius* utrinque ſupra oculos ſimplex. *Pinna dorſi* ſolitaria integra pallida, fuſco multipunctata, antice inter radium primum & ſecundum macula magna atra conſpicitur. *Pinna ani* ex albo & fuſco ſubfaſciata, quæ faſciæ in pinna plicata maculas 13. fuſcas referunt. *Pinnæ pectoris ventris* & *caudæ* pallidæ, radiis fuſco leviter punctatis. *Magnitudo* $2\frac{1}{2}$ pollicum.

NOT.

NOT. Piſcis mihi apparet novus, facies *B. Gattorugini* multis accedit. Nonnullis approximare videtur deſcriptioni Linneanæ *Blennii cornuti*. Rarius in piſcatorio ſe obtulit.

37. BLENNIUS GATTORUGINE.

B. 7. D. $\frac{13}{32}$. P. 14. V. 2. A. 22. C. 13.

BLENNIUS pinnulis ſuperciliorum palmatis, ſpinis dorſalibus XIII.

Maſſilienſibus BAVARELLO.

DESCR. *Facies* duorum præcedentium. *Labium* ſimplex. *Opercula* teguntur cute capitis communi, ideoque poſterius non aperiuntur. *Oculi* ſupra inſtruuntur criſta membranacea, corpori concolore, anguſta, filamentisque plurimis faſtigiata. *Linea lateralis* utrinque pectiniformis lævis, dorſo propior usque ad regionem ano oppoſitam, ubi ſub deſcenſu amittitur, & alia incipit interrupta, caudam æqualiter dividens. *Iris* oculorum obſcure rubra introrſum albicat. Maculæ laterales verſus dorſum nigræ albo venoſæ cinctæque, (ut in procedenti ſpecie). *Magnitudo* interdum ſpithamæ.

38. BLEN-

38. BLENNIUS PHYCIS.

B. 7. D. 10. 62. P. 14. V. 2. A. 57. C---

BLENNIUS naribus ſubcriſtatis, menti cirro unico, dorſo dipterygio.

Maſſilienſibus MOULETTE.

DESCR. *Figura Blennii* ſed *longitudine* pedem ſuperat. *Cirrus* unicus in mento. *Pinnæ ventrales* biradiatæ ad anum elongatæ; *Pectorales* breves rotundatæ. *Anus* ante medium corporis. *Caudæ pinna* rotundata, à dorſali analique diſtincta. *Linea lateralis* ſupra opercula branchiarum incipiens poſtice decurvatur.

NOT. Piſcis in ſuo genere magnus, unica vice in piſcatorio mihi viſus fuit. Annulus ani niger & nares ſubcriſtatæ, quas ſuo tribuit *Dnus* a LINNÉ, forte in hoc adſunt, ſed à nobis obſervari neglectæ.

39. CEPOLA RUBESCENS.

B. 6. D. 68. P. 15. V. 6. A. 60. C. 11.

CEPOLA pinna caudæ attenuata, maxillis acutis.

Maſſilienſibus ROUDGEOLE.

DESCR. *Corpus* enſiforme pallide carneum. *Caput* nudum obtuſum. *Os* obliquum ſubſimum.

mum. *Dentes* maxillarum acuti. *Iris* argentea. *Nares* magni. *Linea lateralis* recta, corpori, cui impreſſa eſt, concolor. *Pinnæ dorſi, ani* & *caudæ* late rubræ; *caudalis* attenuata acutiſſima, à dorſali analique diſtincta, id quod primo intuitu non apparet. *Pinna dorſalis* à nucha incipit. *Anus* paulo poſt ventrales.

NOT. An ſatis diſtinctus eſt hic piſcis à *Cepola Tænia* LINNEI & quomodo? Certe maxillæ in noſtro ſatis obtuſæ apparent.

40. GOBIUS PAGANELLUS.

B. 5. D. 6. 15. P. 20. V. 12. A. 14. C. 21.

GOBIUS corpore fuſco nebuloſo, pinna dorſali antica apice lutea, ano cirrato.

Maſſilienſibus - - -

DESCR. *Corpus* teres, poſtice compreſſius, ſquamis deciduis tectum, coloris fuſco-nebuloſi. *Caput* nudum, obtuſum, buccatum. *Maxillæ* æquales. *Dentes* acuti, diſtantes. *Oculi* approximati, inter quos pori 2. majores, unus ſcilicet poſt alterum. *Pinnæ pectorales* rotundatæ, pallidæ luteo ſubpunctatæ. *Ventrales* in unam infundibiliformem XII-radiatam fuſcam unitæ, radiis ultra membranam non eminentibus. *Anus* pone medium corporis, cirro po-

ſtice

ſtice inſtructus. *Linea lateralis* obſcura. *Pinnæ dorſales caudalisque* punctis nigris ad radios maculatæ; *dorſalium antica* apice lutea; *Analis* pallide fuſca; *caudalis* circinata. *Magnitudo* 3-pollicaris.

NOT. Cirrum ani per accidens in uno poſtea obſervavi diſtinctiſſimum; an in omnibus, vel huic ſpeciei particularis?

41. GOBIUS - - -

B-- D. 6. 16. P. 19. V. 12. A. 15. C. 17.

GOBIUS corpore fuſco, pinnis omnibus nigris.

Maſſilienſibus - - -

DESCR. Facies *G. paganelli.* Corpus fuſcum pinnæ omnes nigræ, radiis ultra membranam vix eminentibus. *Magnitudo* 3-pollicaris.

42. GOBIUS - - -

B. 5. D. 6. 16. P. 19. V. 12. A. 15. C. 15.

GOBIUS ore rubro puſtulato, radiis pinnarum dorſalium ultra membranam eminentibus.

Salv. piſc. 214. 82?
Maſſilienſibus - - -

DESCR.

Descr. Figura *G. paganelli.* Corpus pallidum fuſco ſubfaſciatum; *Os, opercula gulaque* maculis ſanguineis puſtulata. In capite ſub oculis *lineæ* nonnullæ *membranaceæ* transverſim jacent, & duæ aliæ longitudinales ante pinnam dorſi anticam. *Pinnæ dorſales*, pectorales rotundatæ, & analis infuſcatæ, rubro puſtulatæ, harum radii ſetacei ultra membranam eminentes. *Pinnæ ventrales*, in unam ovatam unitæ, cœruleſcunt; radii apice fiſſi. *Pinna caudalis* circinata, nigro ſubfaſciata. *Magnitudo* fere ſpithamæ.

not. *Gobiorum* duos ultimos ſpecie mihi incertos propono innominatos, usque dum ulteriori examine & collatione auctorum certiora determinare ſit poſſibile.

43. COTTUS cataphractus.

B -- D. -- P -- V -- A -- C --

Cottus loricatus roſtro verrucis 2. bifidis, capite ſubtus cirroſo.

Maſſilienſibus - -

not. Piſcem hunc *Maſſiliæ* rarum in muſeis tandum vidi. Numerum radiorum pinnalium alium determinat artedius, alium ſyſtema Linneanum.

44. SCOR-

44. SCORPÆNA porcus.

B. 7. D. $\frac{12}{22}$. P. 18. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{5}$. C. 14.

Scorpæna corpore varie nebuloſo punctatoque, cirris ad oculos nareſque.

Salv. piſc. 201. 74.
Maſſilienſibus RASQVASSO.

Descr. *Magnitudo* ſpithamæ & infra. *Color* totius corporis è fuſco, nigro, albido rubroque varie nebuloſus & punctatus.

45. SCORPÆNA scrofa.

B. 7. D. $\frac{12}{22}$. P. 19. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{8}$. C. 13.

Scorpæna corpore rubro maculis obſcurioribus, capite cirroſo.

Salv. piſc. 197. 73.
Maſſilienſibus SCORPENA.

Descr. *Corpus* totum rubrum, maculis obſcurioribus nebuloſum. *Iris* oculorum rubra. *Pinnæ* rubræ maculis fuſcis aſperſæ, exceptis *ventralibus* & *ani* rubris totis. *Operculi branchialis anterioris* margo bispinoſus, lobisque membranaceis lacerus. Supra oculos utrinque *cirrus* unicus & alius ante ſingula narium foramina. *Maxilla inferior* ſubtus utrinque lobis

tribus

tribus lacera. *Magnitudo* ad duos pedes interdum accedit.

46. ZEUS FABER.

B. 7. D. $\frac{10}{10}$. 23. P. 13. V. $\frac{1}{7}$. A. $\frac{4}{4}$. 21. C. 13.

ZEUS cauda rotundata lateribus mediis ocello fuſco, pinnis analibus duabus.

Salv. piſc. 203. 75.
Maſſilienſibus St. PIERE; aliis TROUEIE, ob ejus voracitatem, vel quod ſemper grunniat, dum capitur. *Salv.*

DESCR. *Corpus* ovatum, compreſſum, pallidum, macula ſ. ocello fuſco in medio lateris utriusque; margo omnis ad baſin pinnarum à capite ad caudam utrinque dupliciter ſpinoſus. Supra pinnas pectorales in oſſe ſcapulari ingens adeſt ſpina & prope dorſum alia minuta. *Caput* articulatione nuchali ſurſum mobile, lateribus læve; *nucha* autem bispinoſa. *Maxilla inferior* ſub mento ſpinis duabus & poſtice in utroque capitis latere ſpinis adhuc duabus aliis terminatur. *Oculi* in ſummo capitis, laterales; *Iris* lutea. Os magnum protractile, dentibus plurimis minutis acutis inſtructum. *Pinnæ pectorales* parvæ rotundatæ; *dorſalium prior* ſpinoſa nigra, radiis membranaceis ultra corpus tendentibus. *Pinnæ ventrales* longæ, acutæ,

nigræ.

nigræ. *Analium anterior* ſpinoſa, vix cohæret cum ſequenti poſteriore. *Pinna caudalis* magna, integra, rotundata. *Linea lateralis* dorſo propior arcuata, per caudam recta excurrit. *Magnitudo* interdum pedis & ultra.

NOT. Nomen *Faber* piſci huic tribuerunt *Latini* & *Itali* propter marginem corporis, ſerræ inſtar dupliciter dentatum.

47. PLEURONECTES SOLEA.

B-- D -- P-- V -- A-- C --

PLEURONECTES corpore aſpero oblongo, maxilla ſuperiore longiore, oris latere albo cirroſo.

Maſſilienſibus SOLE.

DESCR. *Corpus* oblongum, compreſſum. *Maxilla ſuperior* longior. *Oculi* ſiniſtri vel dextri frequenter variant. *Latus*, in quo oculi, cinereum, nigredine ſubtiliſſime irroratum. *Pinna pectoralis* ejusdem lateris macula atra ad apicem notata. *Latus cæcum* & pinna ejus pectoralis alba; regio oris in hoc latere ciliis numeroſiſſimis barbata. *Caudæ* pinna rotundata.

48. PLEU-

48. PLEURONECTES RHOMBUS.

B-- D. 87. P. 10. V. 6. A. 67. C. 17.

PLEURONECTES oculis ſiniſtris, corpore glabro.

Maſſilienſibus ROM.

NOT. *Schedula*, quæ ulteriorem hujus piſcis habuit deſcriptionem, non adeſt, ſed alia ſuppeditabitur occaſione.

49. PLEURONECTES MAXIMUS.

B. 7. D. 80. P. 10. V. 6. A. 64. C. 17.

PLEURONECTES oculis ſiniſtris, corpore aſpero.

Maſſilienſibus - - - -

DESCR. *Corpus* ſubquadratum; in *latere ſiniſtro*; ubi oculi, papillis acutis undique aſperum, coloris fuſci ex atro nebuloſi. *Latus dextrum* album. *Linea lateralis* in utroque latere impreſſa lævis. *Oculi inferioris* palpebra ſuperior cirro ſimplici inſtructa. *Pinnæ pectorales* acutæ; *dorſalis* radius primus reliquis multo longior, radii ultimi hujus pinnæ ut et *analis* ſub-

tiliſſimi & dupliciter bifidi ſunt. *Magnitudo* ſpithamæ.

NOT. Rarius in piſcatorio obvius.

50. SPARUS AURATA.

B. 6. D. $\frac{11}{25}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{15}$. C. 17.

SPARUS corpore ſubvittato, lunula aurea inter oculos, caudæ bifurcæ & operculorum macula fuſca.

Salv. piſc. 174. 62.
Maſſilienſibus AURADO.

DESCR. *Corpus* oblongo-ovatum, compreſſum. *Caput* declive, *frons* nuda, *os* magnum. *Dentes antici* ſubacuti validi, pone quos dentes alii minutiſſimi, qui una cum maxillaribus trium ordinum globulares. *Iris* oculorum argentea. *Opercula* ſquamoſa, integra. Ante ſingulum oculum *foramina* duo, unum nempe pone alterum, antica approximata; ſupra hæc oculis interjacet *lunula* aurea retrorſum ſpectans. *Pinnæ dorſalis* pars ſpinoſa reconditur in foſſula dorſi (quod itaque repandum *Salviano* dicitur) membrana inter ſpinas pinnæ nigricat, ramentis brevibus nigris inſtructa. *Pinnæ pectorales acuminatæ* pallidæ, radius 4tus tertiam corporis partem longitudine æquat & ſeſe ultra initium pinnæ ani extendit. *Squama* laxa, lon-

ga,

ga, ſtrictaque utrinque adjacet pinnis ventralibus, quæ pallidæ; harum ſpina valida eſt. *Pinna ani* fuceſcens; *caudalis* bifurca pallida, margine ultimo nigra. *Linea lateralis* dorſo parallela, leviter arcuata. *Color* piſcis albido-argenteus; ſtriæ obſoletæ fuſcæ numeroſe per corporis latera longitudinaliter ductæ; quæ dorſo propiores, leviter ſinuoſæ. Macula magna formatur ex operculo poſtico & regione corporis huic ſupra pinnas pectorales adjacente ſanguinolento-fuſca. Reliquum corporis immaculatum, nec rubedo ulla apparet. *Latera capitis* argentata, læte candicant. *Magnitudo* $1\frac{1}{2}$. ſpithamæ & ſupra.

51. SPARUS ANNULARIS.

B. 6. D. $\frac{11}{24}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

SPARUS corpore argenteo lineis luteis faſciisque transverſalibus nigris, inciſoribus acutis.

Salv. piſc. 176. 63.
Maſſilienſibus CANTE.

DESCR. *Corpus* ovatum compreſſum. *Caput* nudum; *opercula* ſquamoſa, integra. *Dentes* omnes acuti, parvi, conferti; *molares* magis obtuſi. *Iris* alba. *Linea lateralis* pro curvatura dorſi leviter arcuata. *Foſſula* dorſalis pin-

 næ

næ partem anticam ſpinoſam recondit, reliqua pars ut & pinna ani ad baſin ſquamoſa, ita ut intra ſquamas plicentur radii. *Squama* utrinque ad *pinnas ventrales*, quæ una cum dorſali analique plicatis nigræ: *Pectorales* acuminatæ; *caudalis* bifurca. *Color* piſcis luteo argenteus, vittis longitudinalibus pluribus luteſcentibus faſciisque 5 transverſis latis obſcuris, quarum prima in nucha, ultima in cauda quæ pallida margine ultimo nigreſcente: pinnæ pectorales rubicundæ. *Magnitudo* ſpithamæ.

52. SPARUS SARGUS.

B. 6. D. $\frac{11}{27}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{18}$. C. 17.

Sparus corpore argentato, lineis luteis, faſciisque transverſalibus nigris, inciſoribus truncatis.

Salv. piſc. 178. 64.
Maſſilienſibus SAR.

Descr. *Corpus* ovatum, compreſſum. *Caput* antice nudum poris innumeris ſparſis perforatum. *Latera capitis* & *opercula* ſquamoſa. *Dentes* maxillarum ſubæqualium antici lati, truncati, utrinque VIII; intra hos alii, qui ut et maxillares plurium ordinum, globuloſi, conferti. *Iris* argentea. *Linea lateralis* leviter

arcuata.

arcuata. *Foſſula* dorſi pinnæ partem anticam ſpinoſam recondit, reliqua pars ut & *pinna ani* ad baſin ſquamoſa, ita ut intra ſquamas plicentur radii. *Faſcia* transverſa nigra in dorſi lateribus ante pinnam decurrit & alia in cauda ante finem pinnarum dorſi & ani. *Pinnæ pectorales* acuminatæ, longæ, pallidæ. *Squama* utrinque ad *ventrales*, quæ nigræ. *Caudæ* pinna bifurcata pallida margine ultimo nigreſcente. *Color* corporis argenteus vittis longitudinalibus arcuatis luteſcentibus, ſupra lineam lateralem 5, infra plures magis obſcuræ, margo extimus operculi poſtici & regio corporis adjacens ſupra pinnas pectorales nigra. *Magnitudo* ſpithamæ & ſupra.

58. SPARUS - -

B. 5. D. $\frac{12}{26}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{17}$. C. 17.

SPARUS faſcia ſubcaudali lineis transverſis corporis pinnisque ventralibus nigris inciſoribus truncatis.

Maſſilienſibus - - - -

DESCR. *Corpus* ovatum compreſſum. *Caput* antice obtuſe declive. *Dentes anteriores* truncati, contigui; *molares* globuloſi. *Iris* oculorum alba. *Opercula* ſquamoſa integra. *Linea lateralis* fuceſcens ſenſim arcuatur. Pin-

næ pectorales acuminatæ. *Squama* ad ventrales utrinque. *Cauda* bifida. *Color* corporis argenteus, lineæ nonnullæ transverſæ nigræ faſciarum inſtar latera cingentes: Faſcia ante pinnam caudæ transverſalis, lata, nigra. *Pinnæ ventrales* è cœruleo nigræ; reliquæ pallidæ, *pinnæ caudalis* margo ultimus niger.

NOT. *Sparo Smari* ſimillimus, à quo differt lineis transverſis pinnisque ventralibus nigris, quibus notis ad *Sargum* accedit. Unicum tantum deſcripſi ſpecimen, in quo radios membranæ branchiostegæ 5. obſervavi. An numerus verus, vel potius defectus in obſervatione?

54. SPARUS SMARIS.

B. 6. D. $\frac{11}{15}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{15}$. C. 17.

SPARUS faſcia caudali nigra, inciſoribus truncatis.

Maſſilienſibus PATAQVE'. Nomen GERRO, à *Salviano* allatum, mihi ignotum eſt.

DESCR. *Corpus* ovatum, compreſſum. *Caput* antice nudum, poris raris quaſi pertuſum. *Dentes* maxillarum ſubæqualium *antici* lati truncati; intra hos alii, qui ut et *maxillares* globuloſi conferti. *Opercula* ut in antecedentibus. *Iris* oculorum lacteo-argentea. *Linea lateralis*, dorſo parallela, ſenſim arcuatur. *Foſſula* dorſi pin-

pinnæ partem recondit ſpinoſam, quæ filamento omni caret. *Pinnæ* pectorales elongatæ, acuminatæ; *caudalis* bifida. *Color* corporis argenteus, ſupra ad aurantium vergens; faſcia in lateribus caudæ pone pinnam dorſalem analemque transverſa, lata, nigra. *Pinnæ ventrales* fulveſcentes, reliquæ pallidæ. *Magnitudo* ſpithamæ et infra.

55. SPARUS MELANURUS.

B. 6. D. $\frac{11}{25}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{17}$. C. 17.

SPARUS oblongus, faſcia caudali atomisque nigris, inciſoribus ſuperioribus truncato-ſerratis.

Salv. piſc. 180. 65.
Maſſilienſibus BLADE, HIBLADO, OBLADO.

DESCR. *Corpus* oblongum compreſſum. *Os* dentatum: *inciſores* maxillæ ſuperioris 4. truncato-ſerrati: *Dentes inferiores* minuti, acuti, numeroſi. *Iris* oculorum alba. *Linea lateralis* leviter arcuata fuſca. *Color* corporis argenteus atomis innumeris nigris irroratus. *Cauda* ultima pone pinnam dorſalem analemque nigra, ſed pinna ejus bifurcata una cum reliquis pallida. Magnitudo ſpithamam non æquat.

56. SPARUS MÆNA.

B. 6. D. $\frac{11}{23}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 17.

SPARUS corpore argenteo, macula laterum nigra, pinnis rubeſcentibus.

Maſſilienſibus MUNDOURE.

DESCR. *Corpus* oblongum leviter compreſſum. *Caput* acutum. *Maxillæ* æquales; *dentes inciſores* parvi acuti, reliqui minutiſſimi. *Iris* oculorum alba. *Pinnæ dorſalis* pars ſpinoſa in foſſula dorſi reconditur plicata; pinnæ *pectorales caudalisque*, quæ bifurcata, una cum pinna anali leviter rubræ. Color argenteus, ſupra lineam lateralem ex plumbeo refulgens; macula lateralis magna nigra in medio corporis infra lineam lateralem quæ dorſo parallela leviſſime arcuatur. *Magnitudo* ſpithamæ vel infra.

57. SPARUS - -

B. 6. D. $\frac{12}{23}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 17.

SPARUS argenteus macula laterali fuſca pinnis ventris anique albis.

Maſſilienſibus - -

DESCR.

Descr. *Corpus* oblongum. *Dentes* acuti; qui maxillæ inferioris prominentes. *Iris* alba. *Pinna dorſalis* fuſca; *pectorales* rufeſcentes; *caudalis* furcata margine exteriore rufeſcente: pinnæ reliquæ albæ. Corporis *color* albo-argenteus, macula lateralis ante medium infra lineam lateralem fuſca; *linea* autem ipſa pallida. Præcedentis *magnitudinem* non æquat.

Not. Corpore magis oblongo a S. *mæna* differre videtur, cujus tamen mihi apparet varietas *).

58. SPARUS ERYTHRINUS.

B. 6. D. $\frac{12}{23}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$, A. $\frac{3}{12}$. C. 17.

Sparus corpore argenteo rubente.

Salv. piſc. 238. 97.
Maſſilienſibus PAGEAU, Gallis PAGEUR.

Descr. *Corpus* ovato-oblongum, compreſſum. *Caput* declive; *Os* magnum; *dentes antici* acuti, pone quos dentium minutorum ingens numerus; maxillares globuloſi, duplici ſerie diſpoſiti. *Oculi* magni; *iris* læte flava, extrorſum argentea. *Frons* nuda perforatur utrin-

*) Piſcis hic ſub nomine MARUDA in mari adriatico frequentiſſimus capitur.

utrinque 2 foraminibus, in naſo ante oculos uno poſt alterum diſpoſitis; his interjacent duæ lineæ transverſe parallelæ, fuſcæ, invicem approximatæ. *Naſus* & *regio* ſub oculis rubina. *Pinnæ dorſalis* pars ſpinoſa in dorſo repando reconditur plicata; membrana inter ſpinas lobulis rubris aucta; radii poſtici apice rubri. *Pinnæ pectorales* pallidæ, acuminatæ radio quarto tertiam partem piſcis longitudine æquant. *Ventralium* ſpina gracilis, non pungit. *Pinna caudalis* furcata, pallida, margine ultimo rubro. *Color* piſcis læte argenteus cum tinctura levi rubente & opalina, quæ pro diverſo ſitu varie ludet inprimis in piſce adhuc vivo, cujus quoque latera punctis cœruleis minutis ſparſim puſtulata. Macula ſanguinolenta magna formatur ex angulo ſuperiori operculi & regione corporis huic ſuprajacente (in aliis macula hæc nigricans eſt). Macula rubra ad angulum pinnæ dorſalis poſticum. *Magnitudo* $1\frac{1}{2}$. ſpithamæ & ſupra.

59. SPARUS BOOPS.

B. 6. D. 29. P. 9. V. $\frac{1}{6}$. A. 19. C. 17.

SPARUS pinna dorſali mutica, corpore lineato, lineis inferioribus quatuor aureis.

Maſſilien-

Maſſilienſibus BOGO v. BOGUE.

Descr. Corpus oblongum, compreſſum. *Dentes* maxillæ ſuperioris obtuſi ſerrati, inferiores acuti. *Os* parvum. *Iris* oculorum fuſco-aurea. *Foſſula* dorſi pinnæ plicatæ maximam partem recondit; radii omnes ejusdem pinnæ mutici. *Pinna caudalis* bifida. *Color* corporis argenteus in dorſo ſupra lineam lateralem ex argenteo fuſcus. *Linea lateralis* dorſo parallela vittæformis fuſca; infra hanc vittæ aliæ 4. longitudinales, rectæ, coloris pallide aurei, ante caudam evaneſcentes. Pinnæ omnes albidæ. *Magnitudo* fere pedis.

60. SPARUS CHROMIS.

B. 6. D. $\frac{15}{24}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{12}$. C. 15.

Sparus corpore obſcure lineato, radio ventralium ſecundo ſetaceo elongato.

Maſſilienſibus CASTAGNOLE.

Descr. *Corpus* ovatum, compreſſum, fuſcum, lineis luteis 7. v. 8. obſcure vittatum. *Dentes* obtuſi. *Pinnarum pectoralium* baſis macula nigra notatur; *ventralium* radius ſecundus una ſua extremitate in longam producitur ſetam. *Linea lateralis* elata, ante finem pinnæ dorſalis evaneſcit. Ante pinnam caudæ ſupra infraque *aculei*

aculei 3. minuti, validi decumbentes. *Magnitudo* 3-pollicaris.

61. SPARUS SALPA.

B. 6. D. $\frac{11}{28}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{18}$. C. 17.

SPARUS lineis fulvis longitudinalibus utrinque decem, inciſoribus ſuperioribus obtuſis.

Salv. piſc. 119. 36.
Maſſilienſibus SAUPE.

DESCR. *Corpus* ovato-compreſſum; *Os* parvum, *dentes* unica ſerie diſpoſiti exigui; *ſuperiores* obtuſi. *Iris* oculorum aurea. *Pinnarum pectoralium* baſis nigram fert maculam; *ventralium* ſpina vix pungit: *Pinnæ dorſalis* ſpinæ in foſſula reconduntur; membrana ſpinis interjacens filamentis brevibus aucta. *Color* corporis argenteus ſplendens; lineæ aurichalcei coloris longitudinales rectæ in utroque latere X. per caput & reliquum corpus ductæ. *Linea lateralis*, dorſo parallela, coloris eſt linearum ſed minus ſplendet nec illis parallela. *Magnitudo* ſpithamæ & ultra.

62. SPARUS DENTEX.

B. 6. D. $\frac{11}{22}$. P. 15. V. 6. A. $\frac{3}{12}$. C. 17.

SPARUS

Sparus inciſoribus 4. majoribus, corpore variegato.

Salv. piſc. 110. 31.
Maſſilienſibus DENTE.

Descr. *Corpus* oblongo-ovatum, compreſſum. *Caput* acutum. *Dentes inciſores* utrinque 4. diſtincti a reliquis remoti, acuti, horum duo laterales majores; *iris* fulva. *Color* totius piſcis argenteus, luteſcenti leviſſime tinctus; Faſciæ duæ transverſæ obſcuræ in lateribus apparent: Caput ſupra ex aureoorideſcens, quod ut & latera corporis maxime verſus dorſum punctis cœruleis frequenter ſunt puſtulata. *Pinnæ ventrales analisque* fulvæ; *caudalis* lunato-bifida, una cum reliquis pallida. *Magnitudo* pedis & ſupra.

Not. Inter rariores hujus generis piſces *Maſſiliæ* numeratur.

63. SPARUS ZEBRA.

B. 6. D. $\left\{\begin{matrix}\frac{12}{24} \\ \frac{11}{24}\end{matrix}\right.$ P. 14. V. 6. A. $\frac{3}{13}$. C. 14.

Sparus argenteus vittis cœruleis longitudinalibus interruptis, inciſoribus inferioribus prominulis.

Maſſilienſibus SUCLE.

Descr.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum; *Dentes* minuti, numeroſiſſimi, conferti, acuti. *Labium* inferius prominet dentibus nonnullis ſolitariis validioribus. *Membrana branchiostegæ* nigra. *Iris* oculorum aureo-fuſca. *Linea lateralis* cum dorſo curvata. *Faſcia* lunaris transverſa argenteo-cœrulea inter oculos, alia utrinque infra eosdem usque ad labium oblique aſcendit. *Caput* ſupra fuſcum. *Pinnæ pectorales* acuminatæ pallidæ; *ventrales* cœruleſcentes; *pinna ani caudæque* virideſcentes, maculis plurimis cœruleis variæ; pinna *caudalis* bifida, lobus inferior paulo brevior. *Color* corporis reliqui pallide aureus nitens, vittis cœruleis interruptis plurimis varius, *pectus* obſolete fuſcum. *Pinna dorſi* ad baſin virideſcens extremitate cœrulea ramentacea. In medio corporis utrinque macula adeſt obſoleta fuſca. *Magnitudo* ſpithamæ & ultra.

not. In nonnullis membrana branchioſtega albida, pinnæ ventrales & analis flavicantes; præter maculam lateralem apparent quoque faſciæ nonnullæ obſolete fuſcæ in lateribus transverſæ. Piſcem hunc inter deſcriptos Linneanos non invenio, ideoque novum habeo.

64. SPARUS mormyrus.

not. Hic affertur è libro salviani, qui eum nomine MORMO *Maſſiliæ* vocari aſſervit.

vit. Piſcem tamen vidi primum in mari adriatico, ideoque ibi deſcriptus invenitur *).

65. SPARUS BOGARAVEO.

B. 6. D. $\frac{12}{25}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{16}$. C. 17.

SPARUS corpore argenteo immaculato, inciſoribus acutis.

Maſſilienſibus BOGUE-RAVEO.

DESCR. *Corpus* ovatum, compreſſum. *Caput* antice obtuſum. *Dentes* minuti acuti. *Linea lateralis* fuſca, leviter arcuata. *Cauda bifida*, *pinnæ* omnes pallidæ; *iris* oculorum alba. *Color* capitis læte argenteus, qui in reliquo corpore immaculato eſt pallidior. *Magnitudo* 3-pollicaris.

NOT. Piſcis hic a reliquis ſparis diverſus, ideoque ut novus deſcribitur. In piſcatorio haud eſt infrequens.

66. LABRUS PAVO.

B. 5. D. $\frac{15}{27}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 13.

LABRUS viridi, cœruleo, ſanguineo canoque vittatus varius, cauda integra. *Salv.*

*) Confr. *Spol. Maris Adriat.* 9.

Salv. piſc. 233. 94.
Maſſilienſibus ROUCAO.

DESCR. *Corpus* oblongum, compreſſum. *Caput* luteo virideſcens, ante oculos macula ſaturate cœrulea. *Iris* oculorum viridis ſ. ſmaragdina marginibus aureis. *Opercula* ſquamoſa punctis lineisque ſanguineis; horum *anterius* vix ſerratum. *Labia* duplicata magna. *Dentes* utriusque maxillæ obtuſi unica ſerie diſpoſiti, contigui. *Corpus* reliquum viride luteſcens vittis tribus longitudinalibus, è maculis rubris majoribus cœruleisque minoribus formatis pictum. Prima harum vittarum dorſo ſummo adjacet ante caudam finita; 2da huic parallela excurrit cum margine caudæ ſuperiore, tertia abdomen caudamque æqualiter dividit. Macula magna fuſca ſupra pinnas pectorales & alia in medio caudæ ad baſin pinnæ cœruleo guttatæ. Guttæ cœruleæ exſoletæ apparent per totum corpus ſed magis diſtincte ad caudam. *Caput* & *pectus* antice albicant. *Linea lateralis* dorſo parallela poſtice in ſinum decurvata per medium caudæ exit. *Pinnæ pectorales* rotundatæ luteæ. *Pinna dorſalis* infra luteo viridis, poſtice ſaturatur, ſupra ſordide rufeſcens colore in ſpadiceum vergente, guttis filamentisque ſpinarum brevibus læte cœruleis. *Pinna ani* rufo-ſpadicea, cœruleo extrorſum guttata, introrſum autem maculata, faſcia anguſta luteo-viridis poſtice ad baſin

ſin ejus ducta. *Pinna caudæ* rotundata integra, obſcure rufa maculis ſ. guttis cœruleis punctata. *Magnitudo* pedis & infra.

NOT. *Labrum pavonem* & *mixtum* vix differre dubitavit olim ARTEDIUS *), tamen unum cauda bifida, alterum cauda integra deſcribit Syſtema Linneanum. ARTEDIUM hanc in ſuis inveniſſe differentiam vix credo, alias enim nullam dubitandi haberet rationem, quin eos pro veris diſtinctis ſpeciebus agnoſceret. SALVIANUS *pavonis* caudam delineavit & deſcripſit integram. Alius igitur & diverſus fuit piſcis HASSELQVISTII, qui ejus caudam bifidam dicit.

67. LABRUS TURDUS.

B. 5. D. $\left\{\begin{array}{l}\frac{19}{33}\\ \frac{8}{33}.\\ \frac{18}{30}.\end{array}\right.$ P. 14. V. $\left\{\begin{array}{l}\frac{1}{6}.\\ —\\ 6.\end{array}\right.$ A. $\frac{3}{13}$. C. 13.

LABRUS oblongus, virideſcens, maculatus, pinnæ dorſalis radiis ultimis ima baſi nigris.

Salv. piſc. 220. 86-88.
Maſſilienſibus ROUCAO-VERD.

 DESCR.

*) Confr. *Linn. Syſt. Nat.* T. I. p. 479. 37.

Descr. *Corpus* oblongum, compreſſum. *Caput* antice acutum. *Maxillæ* obtuſæ æquales. *Labia* magna, *ſuperius* duplicatum. *Dentes* validi, acuti, una ſerie ſupra infraque diſpoſiti, diſtincti; *primores* majores. *Vertex* & *frons* capitis nuda. *Opercula* ſquamata integra. *Iris* oculorum viridi-ignea. *Linea lateralis* ex punctis linearibus conſtans, dorſo propior, parallela usque ad finem pinnæ dorſalis, ubi ſinuata deſcendit usque ad medium caudæ, quam æqualiter dividit. *Pinnæ dorſalis* pars ſpinoſa ramentis inſtructa; radii poſtici duo vel tres ad imam baſin nigri (qui character in omnibus hujus ſpeciei piſcibus conſtans). *Pinna caudalis* integra rotundata margine ultimo fuſceſcente. COLORUM VARIETATES deſcripſi ſequentes.

a) L. Saturate viridis infra lineam lateralem pulchre nitens. *Abdomen* magis luteſcens maculis irregularibus albis rubro marginatis variegatum. Maculæ in mento nonnullæ aureæ albo pupillo ornatæ. Lineæ laterali ſubjacet *vitta* e maculis albis & rubicundis formata, infra quas aliæ ſimiles ſed minus diſtinctæ, e maculis læte viridibus & albidis formatæ. *Magnitudo* fere pedis.

b) L. *Caput* ſupra luteum maculis rotundatis albis rarisque nigris; color luteus ſe diffundit in lateribus capitis albis & abit in venas ſaturate

turate rubras. *Corpus* totum ſupra luteum maculis rotundis albis ſ. margaritaceis. *Venter* albido argenteus rubro venoſus. *Pinna dorſi*, *ventris*, *ani* & *caudæ* rubra ocellis margaritaceis; *pectorales* luteæ immaculatæ. *Magnitudo* fere pedis.

c) L. viridis. *Pinnæ* omnes ſaturatius coloratæ, exceptis *pectoralibus* pallide luteſcentibus, *ventralibusque* cœruleſcentibus. *Magnitudo* infra pedem.

68. LABRUS LIVENS.

B. 5. D. $\frac{18}{31}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 14.

LABRUS cauda integra, pinna dorſi ramentacea, corpore fuſco-livido.

Maſſilienſibus ROUCAO.

DESCR. *Corpus* oblongum compreſſum, fuſco lividum. *Caput* ſubtus pinnæque omnes margine profunde cœruleſcentes. *Iris* oculorum livens, igneo reſplendens colore. *Operculorum* margo integer. *Dentes* validi, *inciſores* majores acuti, intra quos alii globoſi. *Linea lateralis* ut in præcedenti. *Pinna* caudæ rotundata integra. *Magnitudo* pedis & infra.

 69. LA-

69. LABRUS IULIS.

B. 6. D. $\frac{9}{21}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. 14. C. 12.

LABRUS lateribus cœruleſcentibus vitta longitudinali fulva utrinque dentata.

Salv. piſc. 217. 85.
Maſſilienſibus GIRELLE. Nomen DOVELLA a *Salviano* allatum hodie forte obſoletum.

DESCR. *Corpus* oblongum, anguſtum, ſubcompreſſum. *Opercula* nuda. *Iris* oculorum ſplendide fulva. *Vitta* lata longitudinalis, fulva, utrinque dentata, per utraque piſcis latera a roſtro ad caudam ducta. Color dorſi obſcure viridis, in lateribus magis cœruleſcens, ad vittam fulvam utrinque, præſertim in capite cœruleus; pars piſcis inferior alba. Apex operculi ſupra pinnas pectorales cœruleus. *Pinnæ pectorales* & *ventrales* pallidæ, *analis* quoque pallida faſcia obſolete fulva, aliaque anguſtiori prope baſin notata; *pinna caudalis* lutea margine faſciiſque cœruleſcentibus. *Linea lateralis* dorſo parallela poſtice ſinuoſe deſcendens, per caudæ medium excurrit. *Magnitudo* 4-pollicaris.

b) VA-

b) VARIETAS B. 6. D. $\frac{9}{21}$. P. 13. V. 6. A. 15. C. 12.

DESCR. *Corpus* longitudinaliter dimidiate rubrum, infra albidum: Vittæ veſtigium vix apparet ullum. *Pinna caudæ* viridis. *Operculorum* apex cœruleus ut in antecedenti, cum quo in reliquis convenit.

NOT. Conſtans eſt hæc varietas nec infrequens cum præcedenti occurrit.

70. LABRUS TINCA.

B. 5. D. $\frac{15}{26}$. P. 12. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 13.

LABRUS corpore viridi, regione ani nigra, roſtro acuto reflexo.

Maſſilienſibus ROUCAO.

DESCR. *Corpus* ovato-oblongum, compreſſum. Roſtrum attenuatum, acutum, ſurſum reflexum. *Dentes* plures validi. *Iris* oculorum læte ſanguinea. *Opercula* ſquamoſa, *ſuperius* ſerratum. *Pinnæ dorſalis* ſpinæ ſingulæ ramento exiguo poſtice inſtructæ. *Pinna caudalis* integra. *Linea lateralis* dorſo parallela, poſtice deſcendens ſinuoſa ad pinnam caudæ excurrit. *Color* totius piſcis viridis, regio circa anum maculam format nigram. *Magnitudo* conſtans 3-pollicaris.

LABRI SPECIES OBSCURIORES.

71.

B. 5. D. $\frac{15}{25}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 12.

LABRUS corpore viridi-olivaceo, operculorum apice cœruleo, macula caudali nigra.

DESCR. *Corpus* oblongum, compreſſum. *Caput* acutum. *Dentes inciſores* acuti, intermedii remoti. *Operculum anterius* valde ſerratum; *poſterioris* apex ſupra pinnas pectorales notatur macula cœrulea, iride coccinea circumdata. Oculorum *iris* ſmaragdina. *Corpus* olivaceo-viride. *Caput* & *venter* ſubtus ad argenteum inclinant. In medio caudæ ante baſin pinnæ macula ſ. punctum majus nigrum apparet. *Pinnæ* corpori fere concolores; *caudalis* integra rufeſcens. *Magnitudo* 2-pollicaris.

72.

B. 5. D. $\frac{16}{25}$. P. 12. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 13.

LABRUS corpore fuſco, lineis maculisque cœruleis.

DESCR.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum. *Caput* acutum; *Os* parvum, *dentes* ſubacuti. *Iris* oculorum albida, intus ſpadicea. *Operculum anterius* ſerratum. *Linea lateralis* cum dorſo leviter arcuata, poſtice ſinuoſa deſcendit, per medium caudæ excurrens. *Pinna dorſalis* ramentacea una cum *caudali*, quæ integra, fuſca, cœruleo maculata. *Pinnæ pectorales* rufæ, apice cœruleæ; *ventrales* rubræ, immaculatæ; *pinna ani* rufeſcens cœruleo punctata. *Corpus* fuſcum maculis confertis lineisque in capite ſerpentiformibus cœruleis. *Venter* albicat. *Magnitudo* 3-pollicaris.

73.

B. 5. D. $\frac{14}{25}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 13.

Labrus corpore olivaceo lineato, pinna dorſali poſtice nigro unimaculata.

Descr. *Corpus* ovatum compreſſum olivaceo viride. Dentes acuti unica ſerie diſpoſiti, *anteriores* majores. *Iris* oculorum rubeſcenti albida circulo interiore perfecte rubro. *Opercula* ſquamoſa, *anterius* ſerratum. *Pinna dorſalis* ramentacea in parte poſtica ad baſin macula longitudinali atra notata. *Pinnæ pectorales* baſi cœruleſcentes; *caudalis* integra. *Linea lateralis* ut in præcedentibus. Per totum cor-

pus longitudinaliter ducuntur lineæ pallide cœruleæ circiter X. parallelæ, rectæ. *Magnitudo* 3-pollicaris.

74.

B. 5. D. $\frac{15}{25}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 13.

Labrus viridis venis rubris anaſtomoſantibus, macula operculorum pinnæque dorſalis nigra.

Descr. Corpus ovatum compreſſum, totum cum pinnis læte viride, venis anaſtomoſantibus rubris reticulatum; ante oculos faſcia lunata nigra. *Operculum poſterius* macula oblonga nigra, rubro circumdata, notata; Lineæ quædam rubræ longitudinales in lateribus capitis ductæ. *Pinna dorſalis* viridis ramentis faſciaque rubra; pone ſpinas macula oblonga fuſca. Reliqua ſunt ut in præcedenti, cui etiam *magnitudine* accedit.

75.

B. 5. D. $\frac{14}{25}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 13.

Labrus corpore griſeo obſcurius punctato, macula baſeos caudæ nigra.

Descr.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum griſeum, maculis linearibus obſcurioribus punctatum. *Genæ* lineis raris cœruleis pictæ. *Iris* oculorum viridis. *Os* parvum. *Dentes* acuti parvi; *anteriores* majores. Macula nigra infra ad baſin caudæ. *Pinnæ* omnes rubicundæ obſcuro luteo maculatæ; *caudalis* integra verſus baſin luteſcens. *Magnitudo* 3-pollicaris. Reliqua ut in antecedentibus.

76.

B. 5. D. $\begin{cases} \frac{15}{25}. \\ \frac{15}{27}. \end{cases}$ P. $\begin{cases} 13. \\ 14. \end{cases}$ V. $\frac{1}{6}$. A. $\begin{cases} \frac{3}{13}. \\ \frac{3}{14} \end{cases}$ C. 17.

LABRUS corpore rubeſcente nigro vario, macula in medio baſeos pinnæ caudalis.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum, reliquis antecedentibus ſimillimum. In medio baſeos pinnæ caudalis macula adeſt nigra. Corpus pallide rubeſcens albo per ordines minutiſſime guttatum, maculiſque nigris aſperſum. Lineæ ſub oculis ducuntur duæ nigræ obliquæ. Oculorum *iris* viridis. *Pinnæ* omnes ruféſcentes, *analis* albo guttata. In nonnullis *pinnæ ventrales* & *analis* virides. *Magnitudo* 3-pollicaris.

NOT.

NOT. *Labri* hi omnes minuti 70-75. invicem valde accedunt, ideoque ob defectum Auctorum hic loci relinquuntur obſcuriores, meliori in poſterum examini ſubjiciendi.

77. SCIÆNA UMBRA.

B. 7. D. $\frac{10}{10}$. $\frac{1}{23}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{9}$. C. 17.

SCIÆNA pinnis dorſalibus ſubunitis corpore è fuſco aureo, atomis nigris irrorato.

Salv. piſc. 115. 35. qui eam pinna ani validiſſimo à reliquis differre dicit.
Maſſilienſibus DORADE.

DESCR. *Corpus* ovatum compreſſum. *Caput* totum ſquamoſum. *Os* magnum. Maxillæ multidentatæ, *dentes* minuti, acuti, diſtincti, in plures ordines diſpoſiti. *Maxilla* ſuperior brevior. *Labium ſuperius* 3-lobatum, foraminibus tribus in triangulum diſpoſitis perforatum; foramina 2. alia ante oculos. *Faucium* oſſa 4. dentibus granulatis tuberculata. *Iris* oculorum è fuſco rubina. *Opercula* vix ſerrata. *Pinnæ dorſales* nigræ, *anterior* incipit cum breviſſima ſpina, cui annectitur pinna magna radiis IX. ſubrigidis ultimis breviſſimis. His proxime ſequitur *altera* pinna cum priori

vix

vix cohærens, radiis conſtans XXIII, quorum prima breviſſima pungens; reliqui mutici. *Pinnæ* ventrales nigræ, acutæ, ad exordium fere pinnæ analis elongatæ. *Pinna ani* nigra biſpinoſa, anterior ſpina ob parvitatem vix obſervanda, ſecunda magna valida; *caudalis* rotundata, ſ. attenuata integra nigra. *Linea* lateralis dorſo arcuato parallela, poſtice absque ſinu notabili recta excurrit, caudam æqualiter dividens. *Caput*, *dorſum* & *cauda* fuſca ex auro reſplendentia. *Abdomen* fuſcum ex argenteo reſplendens. *Corpus* totum atomis nigris ſtercoris inſtar muſcarum irroratum. *Magnitudo* 4. v. 5. pollicum *).

78. PERCA LABRAX.

B. 7. D. $\frac{9}{9}$. $\frac{1}{14}$. P. 17. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

PERCA pinnis dorſalibus diſtinctis, ſecunda radiis quatuordecim cauda lunata.

Salv. piſc. 107. 30.
Maſſilienſibus LOUP, vel LOUPASSON.

DESCR.

*) Confr. *Spolia Maris Adr.* n. 12. ubi major hujus occurrit varietas.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum. *Opercula* ſquamata, *anterius* ſerratum, infra ad apicem ſpinis vel dentibus majoribus munitum. *Os* magnum; *maxillæ* æquales, dentibus minutiſſimis inſtructæ. *Iris* oculorum argentea, margine interiore pallide aureo. *Linea lateralis* recta, ideoque dorſo non parallela, ſupra pinnam pectoralem vix arcuata. *Pinna dorſalis* ramentis breviſſimis aucta; *caudalis* lunata nigreſcens. *Operculum poſterius* apice ſupra pinnas pectoris nigreſcens, rubedo ſanguinolenta utrinque ad os & aperturam operculi branchiarum primi. *Color* corporis argenteus; latera piſcis ſupra lineam lateralem maculis exiguis nigris obſcure punctata, caput autem minutiſſimis atomis nigris irroratum. *Magnitudo* ſpithamæ & ſupra.

79. PERCA PUSILLA.

B. 6. D. $\frac{9}{9}$. 23. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 14.

Perca pinnis dorſalibus diſtinctis corpore ovato compreſſo ſcabro.

Maſſilienſibus - - -

Descr. *Corpus* ovatum compreſſum, totum aculeis minutiſſimis ſubtiliſſimisque ſquamarum inſtar tegitur, hinc corpus retrorſum leviter ſca-

ſcabrum. Aculei in capite validiores, digitis tamen potius quam oculis obſervandi, præcipue in fronte & ſub maxilla inferiore. *Os* acutum. *Maxilla inferior* ultra *ſuperiorem* paulo prominens, ſubtus valde ſcabra. *Operculum anterius* margine ſerratum. *Pinna dorſalis anterior* major ſpinis 9. conſtans, harum prima ſoluta, cum reliquis non cohæret, minuta. *Pinnarum ventralium* ſpina valida margine antico ſerrato: *Caudalis* - - - - - (in noſtro ſpecimine lacera). *Color* corporis rubenti-argenteus; pinnarum pallidus. *Iris* oculorum alba. Magnitudo $1\frac{1}{2}$ pollicis.

NOT. Piſcis hic novus, in piſcatorio ſemel mihi fuit obvius. Corpori quoniam aſpero adhæret mucus marinus villoſus, à quo difficile liberatur.

80. PERCA MARINA.

B. 6. D. $\frac{10}{26}$. P. 13. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{11}$. C. 15.

PERCA pinna dorſali unica ſpinis decem cauda integra, corpore è rubro cœruleoque vario.

Salv. piſc. 224. 89.
Maſſilienſibus SERRANG, SERRANGO.

DESCR.

Descr. *Corpus* oblongum compreſſum. *Mandibulæ* dentatæ, inferior paulo longior; *dentes* ſuperioris maxillæ numeroſi multorum ordinum introrſum vergentes; *dentes laterales* 5. *molares* maxillæ inferioris magni acuti, ſed in ſuperiore minutiſſimi. *Iris* oculorum rubina infra aurea. *Color* corporis ruber ad caudam in flaveſcentem abit. Abdominis latera macula magna ſplendide cœruleſcunt; idem color ex argento ſplendens ſerpit per tenuiſſimas venas in capite & ejus operculis; faſciæ ad dorſum obſcuræ fuſcæ certo ſitu apparent. *Pinna dorſalis* pallida, poſtice altior ut in plurimis Labris, pars ſpinoſa ſanguineo-venata, reliqua rubro pallidiore puſtulata. *Pinnæ pectorales* longiores obtuſæ, radiis flavo rubentibus inſtructæ. *Pinnæ ventrales* rubicundæ margine exteriore cœruleo. *Pinna caudæ* integra ſubrotunda una cum *pinna ani* flavicans rubro puſtulata. *Magnitudo* ſpithamæ & ſupra.

Varietas à præcedenti differt colore corporis, quod ſupra usque ad dimidium lateris è rufo fuſcum faſciis VII. obſoletis transverſis fuſcis. Pars corporis reliqua inferior argentea vittis tribus miniaceis per caput & abdomen ductis, interſtitiis in capite cœruleſcentibus.

NOT.

NOT. Varietas hæc accedit deſcriptioni Percæ Cabrillæ Maris mediterranei, huic autem caudam bifidam tribuit Dnus a *Linné.*

81. PERCA GIGAS.

B. 7. D. $\frac{11}{26}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 15.

PERCA corpore nebuloſo, cauda integra, operculis triſpinoſis, ſpinis dorſalibus undecim.

Maſſilienſibus MEROU vel MERON.

DESCR. *Corpus* ovatum lateribus compreſſum. *Caput* antice nudum. *Os* magnum, *faux palatumque* dentata. *Labia* ſimplicia, *lingua* lævis magna. *Maxillæ* æquales; *dentes* plurium ordinum acuti; quatuor anteriores maxillæ ſuperioris majores conici. *Opercula ſquamoſa, prius* ſerratum, *poſterius* armatur ſpinis tribus, invicem diſtantibus, lanceolatis planis corpori appreſſis, intermedio majori. *Iris* oculorum lutea. *Linea lateralis* obſcura, dorſo parallela, ſenſimque curvata. *Pinna dorſalis* unica, ramentis brevibus inſtructa, radius ſeptimus reliquis brevior. *Pinnæ pectorales* rotundatæ. *Anus* poſtice. *Color* corporis ochraceus, obſcuro fuſcoque nebuloſus; caput ſubtus rubrum ut & pinnæ pectorales extrorſum.

ſum. *Caudæ* pinna integra. *Magnitudo* 3. pedum.

NOT. Duos hujus ſpeciei deſcripſi vivos piſces, nec plures poſtea mihi viſi ſunt.

82. PERCA MEDITERRANEA.

B. 5. D. $\frac{16}{27}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 13.

PERCA pinnis dorſalibus unitis, macula nigra ad pectorales, corpore viridi cœruleo lineato.

Maſſilienſibus - - -

DESCR. Corpus oblongum, compreſſum. *Caput* ſupra nudum, poris raris pertuſum. *Opercula* ſquamoſa, *anterius* ſerratum. *Os* mediocre intus læve; *linguæ* nullum videtur veſtigium; *maxilla ſuperior* dentibus gaudet tantum duobus, inciſoribus validis, lanceolatis, diſtantibus prominentibusque. *Maxilla inferior* vix brevior, antice dentibus inſtructa decem minutis, quorum intermedii 2. reliquis majores. *Iris* oculorum aurea, in cujus medio circulus cœruleus. *Color* corporis viridis; lineæ, *laterali* parallelæ, ſupra 3. infra 7. ad caudam usque ductæ obſcuræ; his ſubjacent aliæ 5. latiores & læte cœruleæ, ſub pinnis pectoralibus

libus incipientes & ad anum ſeſe terminantes. *Caput* ſupra lineis transverſis & ſerpentinis læte cœruleis pictum; margo membranæ branchioſtegæ & caput ſubtus læte cœrulea. *Pinna dorſalis* ramentacea poſtice altior ut in Labris, hæc una cum *anali* & *ventralibus* olivacea cœruleo transverſim maculata: *Pinnæ* pectorales ruſeſcentes baſi nigræ, ſupra hanc luteæ: *pinna caudalis* rotundata integra ad baſin lutea, extrorſum cœrulea, fulvo punctata. *Linea lateralis* lævis, ſupra pinnata, ad finem pinnæ dorſalis paululum deſcendit & caudam dividit. *Magnitudo* ſpithamæ.

NOT. Piſcis haud inter rariores Maſſiliæ, nec dubito, quin idem ſit cum *P. mediterranea* Dni a LINNÉ, cui forte errore typographico ſubſcriptum legitur: „Habitat in *America.*

83. GASTEROSTEUS DUCTOR.

B-- D-- -- P-- V-- A-- C--

GASTEROSTEUS ſpinis dorſalibus quatuor.

Maſſilienſibus FANFRE.

NOT. Piſcis rarus & ſolum tempore vernali naves è pelago venientes in portum lambendo

ſequitur. Hinc mihi non viſus ignotusque afſertur è Syſtemate Linneano.

84. SCOMBER SCOMBER.

B. 7. D. 6-3. 11. 5. P. 19. V. 6. A. $\frac{1}{1}$. 12. 5. C. 14.

SCOMBER pinnulis utrinque quinque; ſpina ani; corpore argenteo, ſupra è cœruleo flammeo.

Salv. piſc. 240. 48.
Maſſilienſibus AURIOL.

DESCR. *Corpus* oblongum ſubteres. *Color* argenteus, in dorſo cœruleus pallidiori flammeus. *Iris* oculorum argentea. *Pinnarum dorſalium anterior* in foſſula dorſi reconditur plicata, radiis conſtans muticis ſimplicibus longioribus ſex aliisque breviſſimis tribus, quæ cum prioribus membrana vix cohærent. Ante pinnam ani ſpinula ſolitaria exigua. Pinna caudalis bifurca, inter quam & dorſalium poſticam pinnulæ 5 ſpuriæ, totidemque inter pinnam ani & caudæ. *Magnitudo* pedis.

85. SCOMBER PELAMIS.

B. 7. D. $\frac{23}{23}$. 15. 8. P. 24. V. 6. A. 15. 7. C. 9-9.

SCOM-

SCOMBER pinnulis inferioribus ſeptem, corpore utrinque lineis 4. nigris.

Salv. piſc. 123. 38.

Maſſilienſibus PALAMIDE.

DESCR. *Corpus* elongatum, vix compreſſum. *Caput* acutum. *Os* non protractile. *Maxillæ* dentibus acutis inſtructæ. *Rima* linearis transverſa ante ſingulum oculum, & ante eos 1½. pollicis diſtantia *foramen narium*. *Pinnæ pectorales* exiguæ, triangulares; *Ventrales* excavationi abdominis appreſſæ. Rima *dorſi pinnam anticam* ſpinoſam perfecte recondens; pinna *poſtica* radiorum 15, quorum duo ultimi valde compoſiti & quaſi faſciculati; ejusdem ſtructuræ ſunt quoque reliquæ pinnæ ſpuriæ, quæ ante caudam ſupra VIII, infra VII. numerantur: *Pinnæ analis* radii ultimi quoque faſciculati: *Pinna caudæ* lunata radiis intermediis valde faſciculatis; *cauda ipſa* lateribus carinata. Color corporis argenteus, dorſum nigro cœruleſcens ex argento reſplendens: Regio ſupra lineam lateralem vittis quinque vel ſex obſcuris nigris verſus caudam oblique aſcendentibus, poſticis gradatim minoribus. *Iris* oculorum argentea. *Magnitudo* 1½. pedis.

86. SCOMBER THYNNUS

B. 7. D. $\frac{13}{13}$. 14. 8. P. 34. V. 6. A. 12. 8. C. 9-9.

Scomber pinnulis ſupra infraque octo, corpore plumbeo.

Maſſilienſibus TON.

NOT. Figura & facie *Scombro Palamidi* ſimillimus, ut ulterior deſcriptio ſupervacanea foret, hinc SALVIANUS eum a *Palamide* ætate tantum diverſum facit. Differt à *Palamide* numero radiorum & pinnis ſpuriis, colore corporis plumbeo absque lineis nigris, & magnitudine, quæ huic ordinaria, 3. v. 4. pedum. Squamis tegitur facile deciduis, maxime in poſtica corporis parte. Quem deſcripſi magnitudine 2 pedes & pondere 7. libras æquabat, alii hoc duplo ſunt majores.

87. SCOMBER TRACHURUS.

B. 7. D. 8. 34. P. 20. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{2}$. $\frac{1}{30}$. C. 20.

Scomber pinnulis unitis, ſpina dorſali recumbente, linea laterali loricata.

Salv. piſc. 78. 15? Linea lateralis in figura apparet loricata; ſed ſpinæ anales obſervantur nullæ,

nullæ; dorſum quoque ibi eſt tripterygium, ideoque citatio hæc cum noſtro piſce non exacte convenit.
Maſſilienſibus SUVEREOU ſ. MACAREO.

Descr. *Corpus* oblongum ſubteres, ſpina dorſalis ante pinnam recumbens (ſentitur ſi digitus dorſum ſequatur inde à capite). *Pinnæ dorſalis* radii ſimplices non pungentes. *Pinnarum ventralium* ſpina mollior, vix pungens; *Ani* ſpinæ duæ pungentes membranula connexæ. *Color* totius corporis argenteus: Dorſum ex plumbeo nitet. *Linea lateralis* curva loricata, ſquamis latis pinnata. *Magnitudo* interdum pedis.

88. MULLUS barbatus.

B. 3. D. 7. 10. P. 17. V. 6. A. 8. C. 15.

Mullus cirris geminis, corpore argenteo, luteo longitudinaliter lineato, deſquamato rubro.

Salv. piſc. 235. 95. 96.
Maſſilienſibus ROUGET. *Salviani* TRIGA mihi ignotum eſt.

Descr. *Corpus* oblongum argenteum, *dorſum* obſcurius, lineæ longitudinales luteæ a capite ad caudam per latera ductæ, aliæque his

adjacentes breviores. *Vertex* deplanatus, *roſtrum* verrucis minutiſſimis ſubaſperum. *Cirri* gemini in maxilla inferiore. *Iris* oculorum argentea. *Linea lateralis* dorſo parallela. *Pinnæ dorſales* pallidæ, luteo bifaſciatæ; *pectorales* albidæ, luteo pallide 4-faſciatæ; *reliquæ* pallide rubeſcentes, flavedine paſſim leviuſcule tinctæ. *Magnitudo* usque ad pedem variat.

NOT. *Mullum barbatum* a *M. Surmulleto* diverſum credidit SALVIANUS & poſt eum ARTEDIUS & Dnus a LINNÉ. Nos obſervavimus in mari ipſo minores vivos, adhuc lineis luteis gaudentes, ſtatim poſt mortem ſquamas perdere & rubros reſtare: *majores* autem ſquamas non adeo facile perdere omnes; illi autem deſquamati à *minoribus* notis diſtinguuntur nullis, neque numero radiorum pinnalium: hinc mihi tanquam una eademque conſiderantur ſpecies.

89. TRIGLA CATAPHRACTA.

B. 7. D. 25. P. 11. 2. V. 6. A. 18. C. 17.

TRIGLA digitis geminis, roſtro furcato elongato, corpore loricato angulato.

Salv. piſc. 192. 70.
Maſſilienſibus MALARMAT.

DESCR.

Descr. *Corpus* oblongum octagonum, loricatum ſquamis oſſeis ſcabris; ſingula ſquama ſpina compreſſa decumbente criſtata. *Caput* oſſeum, ſcabrum, angulato-ſpinoſum. *Vertex* excavato-canaliculatus. *Frons* declivis planiuſcula ſcabra, antice truncata inter prominentiam roſtratam, oſſeam, bifurcatam, horizontaliter planam, ſcabram, ex lateribus capitis ultra frontem elongatis formatam: in fronte binæ exſtant ſpinæ validæ, pone quas alia duplicata minor remotior. Regio oculorum ſuperior ſpinoſa: *Latera capitis* carinata, carina in ſpinam poſtice exeunte. Capiti poſtice utrinque adhæret *operculum* monophyllum, exiguum oſſeum medio longitudinaliter carinatum, poſtice in ſpinam terminans; margo ejus ſuperior lunatus membranulaque inſtructus; quæ foramen relinquit ad branchias apertum oblongum; infra adhæret huic operculo & capitis lateribus ipſis ſupra carinam ſpina brevis mobilis, quam fortaſſe alterum foliolum operculi diceres. *Oculi* laterales magni, iride alba. *Os* magnum horizontale edentulum. *Labium* inferius brevius, cui utrinque adhæret cirrus longus unicus cum pluribus brevioribus apice laceris. *Membrana branchioſtega* 7-radiata, ſubtus prominet. *Scuta dorſalia* usque ad caudam 25, ultra hæc tria lateralia utrinque in cauda bifurcata: *Scuta abdominis* tria, quorum anterius maximum, planum, antice bilobum. *Anus*

in medio corporis, pone quem *ſcuta* ſenſim minora 21. *Linea lateralis* nulla, niſi duplicem facias ex binis laterum angulis criſtato-ſpinoſis. *Pinna dorſi* radiis muticis 25, primore horum ſetacei longitudine totius pinnæ. *Dorſum* ſupra excavato-planiuſculum inter ſeries ſpinarum binos angulos dorſi formantes. *Pinnæ pectorales* & *digiti* duo liberi illis æquales, brevi membrana baſeos juncti. His proxime ſubjacentes *ventrales* invicem remotæ, breviores, digitis ad baſin cute annexæ. *Color* totius piſcis pallide ruber, qui in pinnis dorſi & ani ſaturatior. *Longitudo* pedis.

NOT. Generis hujus membranam branchioſtegam 5-radiatam deſcribit *Celeb.* GRONOVIUS, radios enim præteriit duos minores. Eos obſervavit *Celeb.* LINNÉ, qui membranam hanc 7-radiatam deſcripſit, qualem etiam in omnibus ſpeciebus conſtantem eſſe invenimus.

90. TRIGLA GURNARDUS.

B. 7. D. $\frac{9}{9}$. 18. P. 10. 3. V. 6. A. 17. C. 12.

TRIGLA digitis ternis, linea laterali pinnata, radio dorſali primo antice ſerrato, pinnis pectoralibus ſubtus nigris.

Salv.

Salv. piſc. 190. 69.

Maſſilienſibus GURNEAU.

Descr. *Corpus* oblongum, attenuatum, ſubteres, rubrum. *Caput* oſſeum ſtriis radiatis ſcabris undique lineatum; *frons* inter oculos excavata antice declivis. *Roſtrum* prominens breve, ſupra convexum infra planiuſculum. *Maxillæ ſuperioris* labium ſuperius margine ſcabrum, antice bilobatum, lobis prominentibus ſexſpinoſis. *Os* magnum dentibus minutiſſimis utrinque ſerratum. *Oculi* magni, *iris* lutea, intus alba; foramina capitis oſſei oculos includentia margine ſpinis decumbentibus munito prominent. *Latera capitis* oſſea mobilia poſtice uniſpinoſa. *Operculum* poſtice è regione oculi ſpina prolongatum, clauſile ſupra alio oſſe minori, ſcapularis inſtar, immobili, ſuperficie radiata ſcabro, poſtice uniſpinoſo. *Nucha* biſpinoſa. Pone hanc incipit foſſula dorſi, quæ utrinque ſpinoſa extenditur usque ad extremum pinnæ dorſalis poſticæ, paulo ante caudam terminatæ. *Pinnæ* dorſalis radius primus antice retrorſum ſerratus. *Pinnæ pectorales* acuminatæ digitis vix longiores, ſubtus nigræ. *Digiti* inæquales utrinque tres. *Pinnæ ventrales* ultra pectorales non protenſæ. *Linea lateralis* lævis pinnata, recta per pinnam caudæ bifurcata excurrit. *Anus* in medio corporis.

poris. *Corpus* ſquamis parvis ciliatis tectum. *Dorſum* nigro maculatum. Pinnæ omnes, exceptis pectoralibus, rubræ. *Longitudo* pedis.

91. TRIGLA LUCERNA.

B. 7. D. $\frac{10}{16}$. 19. P. 11. 3. V. 6. A. 18. C. 12.

TRIGLA digitis ternis linea laterali pinnata, radio dorſali ſecundo & tertio ſetaceis, pinnis pectoralibus nigris.

Maſſilienſibus BRIGOTTE, an CABOTTE?

DESCR. Corpus præcedenti ſimillimum. *Maxilla* ſuperior antice integra ſpinis 2. prominens; *maxilla inferior* brevior. *Iris* alba. *Foramina* capitis oſſei oculos includentia margine antico biſpinoſa. *Pinnæ dorſalis anterioris* radius primus lævis, omnes ſpinoſi exceptis 2do & 3tio in ſetam ad dimidium dorſi prolongatis. *Pinnæ pectorales* acuminatæ digitis paulo longiores. *Digiti* inæquales utrinque 3. *Pinnæ ventrales* ultra pectorales non extenſæ, ſed potius illis breviores. *Linea lateralis* lævis pinnata pinnis oppoſitis, recta per pinnam caudæ bifurcata excurrit, ſquamis conſtat magnis latis margine crenulatis. *Anus* paulo ante medium corporis. *Pinnæ* omnes rubræ exceptis pectoralibus viridi-nigris cœruleo punctatis. *Pinna* *cauda-*

caudalis lunata. *Magnitudo* ſpithamæ. Reliqua conveniunt cum *T. Gurnardo.*

92. TRIGLA CUCULUS.

B. 7. D. $\frac{9}{9}$. 17. P. 11. 3. V. $\frac{1}{6}$. A— C. 11.

TRIGLA digitis ternis linea laterali & radio dorſali primo lævi, pinnis pectoralibus nigris.

Salv. piſc. 194. 71?
Maſſilienſibus GALLINE, GALINETTE vel LINETTE.

DESCR. Præcedentibus duobus ſimilis. *Roſtrum* ſubbilobum. *Iris* oculorum alba. *Corpus* & *pinnæ* rubræ, ſed *pectorales* præſertim ſubtus è fuſco virides, margine exteriore cœruleæ. *Pinnæ dorſalis* anticæ radius primus antice lævis. *Pinna caudalis* lunata. *Linea lateralis* lævis ſimplex ſ. non pinnata. *Longitudo* pedis & ultra.

93. TRIGLA HIRUNDO.

B. 7. D. $\frac{9}{9}$. 18. P. 10. 3. V. $\frac{1}{6}$. A. 19. C. 11.

TRIGLA digitis ternis, linea laterali ſpinoſa, radio dorſali primo lævi, pinnis pectoralibus rubris.

Maſſilien-

Maſſilienſibus BOLEGAR, vel BELUGAR.

DESCR. *Corpus* præcedentium, quibus capitis figura, ſcabritie &c. ſimillimus. *Caput* ſupra & corpus dimidium verſus dorſum rubra, reliqua pars inferior alba. *Labium* ſuperius bilobum lobis antice tridentatis. *Maxilla inferior* ſubtus utrinque areolis 3-punctatis perforata. Margo foraminum oculos includentium antice 2-ſpinoſus; *iris* oculorum alba. *Pinna* dorſalis antica ſpinoſa, ejus radius primus lævis; membrana hujus pinnæ ad radium 4. & 5. apice nigra. *Pinnæ pectorales*, *ventrales* & *digiti* tres ſubæquales. *Linea lateralis* ſpinis decumbentibus aculeata, ſed bifida lævis in pinna caudali lunata excurrit. *Pinnæ caudalis dorſalisque* rubræ, *ani* & *ventris* albæ, pectorales pallide rubicundæ.

NOT. Piſces hujus generis a Syſtematicis adeo inſufficienter ſunt determinati, ut incerti hæreamus, ſi noſtri coincidant cum Auctorum ſpeciebus, quarum portant nomina. Etiam hæc alius illuſtrabit dies.

94. ESOX SPHYRÆNA.

NOT. Hic ſupplendus venit e *Spoliis Maris Adriatici*, ubi primum obſervavi & deſcripſi.

Maſſilien-

Maſſilienſium piſcibus annumeratur a *Salviano*, qui ejus nomen *Provinciale* PEÏ ESCOMÉ eſſe perhibet.

95. ESOX BELONE.

B. 9. D. 17. P. 13. V. 7. A. 21. C. 15.

Esox capite roſtrato, utraque maxilla ſubulata.

Salv. piſc. 68. 8.
Maſſilienſibus NAGOJO, vel AGUILLO.

Descr. *Corpus* elongatum è tereti compreſſum. *Caput* ſupra planum, in lateribus compreſſum, antice roſtratum. Roſtri *maxilla inferior* longior; *utraque* ſubulata. *Lingua* lævis edentula. *Anus* poſtice. *Pinna dorſalis* anali oppoſita. Radii *membranæ branchioſtegæ* non ultra IX. *Longitudo* 1½. pedis & ultra.

96. ARGENTINA SPHYRÆNA.

B. 6. D. 10. P. 14. V. 11. A. 13. C. 19.

Argentina pinna dorſali poſtica ſpuria, lingua dentata, tænia longitudinali & veſicula aërea argentea.

Maſſilienſibus PEÏ D' ARGEN.

Descr.

DESCR. *Corpus* anguſtatum ſubteres, latera leviter compreſſa. *Caput* nudum ſupra planum, ante oculos anguſtius. *Os* obtuſum; *mandibulæ* depreſſæ obtuſæ, *inferior* edentula, *superior* dentibus minutiſſimis vix obſervandis aſpera. *Lingua* anguſta dentibus 5. v. 6. validis hamatis inſtructa. Pinnæ omnes parvæ, caudalis bifida. In dorſo ante caudam pinna cartilaginea ſpuria parva. Abdomen ſubtus per totam longitudinem ſulco magno ſubtus canaliculatum. *Iris* oculorum alba. *Operculum* argenteum. *Corpus* pallidum vitta longitudinali lata argentea per latera ducta. *Anus* poſtice. *Magnitudo* ſpithamæ.

Veſicula aërea utrinque conica, velut argento foliato reſplendens, manus ad contactum argento quaſi obducit.

NOT. Frequens ſatis eſt in piſcatorio *Maſſiliæ*. Ex definitione, quam dedi, patet eum potius ad Salmonum genus eſſe referendum. Nonnulla communia habere videtur cum Salmone Braſilienſi argentino dicto *Linn. Syſt. Nat. Tom. I. p. 511. 12.* qui tamen pinna ani longiſſima à noſtro eſt diverſiſſimus.

97. ATHERINA HEPSETUS.

B. 6. D. 8. 12. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. 12. C. 17.

ATHERINA pinna ani radiorum duodecim.

Maſſilien-

Maſſilienſibus SAUCLET.

NOT. Haud infrequens piſcis *Maſſiliæ*, nec rarus in mari anglico circa inſulam *Sheppy*. Noſtra hic deſideratur deſcriptio, alibi ſupplenda.

98. MUGIL CEPHALUS.

B. 7. D. 4. 9. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 14.

MUGIL corpore argenteo vittis longitudinalibus fuſcis.

Salv. piſc. 75. 14.
Maſſilienſibus MUGEO, ſ. MUJOU.

DESCR. *Corpus* elongatum, ſubteres. *Color* argenteus, in dorſo obſcure plumbeus. Latera corporis vittis 5. longitudinalibus fuſcis faſciata. *Caudæ pinna* bifida. *Iris* oculorum argentea. *Longitudo* pedis & infra.

NOT. Pinnæ dorſalis anterioris numerus in pluribus ſpeciminibus examinatus ſemper deprehendebatur idem; ideoque ulterius determinari debet ſecunda hujus generis ſpecies americana à *Celeb.* LINNÉ *alba* dicta, quacum noſtra reſpectu radiorum dorſalium convenit.

99. CLUPEA HARENGUS.

B. 7. D. 17. P. 16. V. 9. A. 15. C. 19.

CLUPEA immaculata, argentea, dorſo cœruleo, maxilla inferiore longiore, operculis lævibus.

Salv. piſc. 103. 28.
Maſſilienſibus ALOSE, *Salviani* HALACHIA nomen eſt mihi ignotum.

DESCR. *Corpus* tegitur ſquamis magnis facile deciduis: *Dorſum* totum ex plumbeo argentoque reſplendens, qui color terminatur linea anguſta lutea per latera ab operculis ad pinnam caudalem ducta: Latera infra hanc lineam ex argenteo ſplendent. Caput ſupra dorſo concolor, ſubtus abdominis colore nitet. *Maxillæ* inæquales, ſuperior brevior. *Myſtaces* apice vix ſerratæ. *Linea lateralis* leviſſima, recta, infra vittam luteam longitudinalem, vix conſpicienda. *Iris* oculorum argentea. *Caudæ pinna* inſigniter bifida. *Pinnæ ventrales* minutæ, radius primus ſetaceus ſimplex. *Anus* caudæ propior. Squamæ ſub abdomine omnes carinatæ, apice in ſpinam terminantes, hinc *abdomen* ſerratum. *Longitudo* pedis.

NOT. Rarioribus *Maſſiliæ* piſcibus annumerandus eſt.

100. CLUPEA SPRATTUS.

B. 7. D. 18. P. 16. V. 9. A. 18. C. 19.

CLU-

CLUPEA immaculata argentea, dorſo cœruleo, maxilla inferiore longiore, operculis ſtriatis.

Maſſilienſibus SARDINE.

DESCR. *Corpus* oblongum, compreſſum ſquamis magnis deciduis tectum. *Caput* acutum *Opercula* ſtriata. *Vertex* plano depreſſus lineis elevatis marginalibus. Oculorum *iris* luteo-argentea. *Maxilla inferior* longior. *Myſtaces* margine exteriori ad apicem ſerratæ. *Os* non ductile. *Color* corporis argenteus ſ. ſtanni nuperrime fuſi, *dorſum* cœruleum. *Linea lateralis* obſoleta, recta. *Pinnæ* omnes pallidæ, *caudalis* bifurcata. *Longitudo* ſpithamæ.

NOT. *Spratti* definitio & radiorum dorſalium numerus indicatus apud *Celeb.* LINNE' inter ſe non congruunt. Alius piſcis minutus Maſſilienſibus ſub nomine SARDELLE notus eſt, aſt tunc temporis rarius obvenit, ideoque eum ſub examen revocare non potui.

101. CLUPEA ENCRASIOLUS.

B. 13. D. 15. P. 16. V. 7. A. 15. C. 19.

CLUPEA maxilla ſuperiore longiore corpore argenteo ſupra cœruleo.

Maſſilienſibus ANCHIOVE.

Descr. *Corpus* elongatum, anguſtum, coloris argentei, dorſum cœruleſcens. Cutis corporis ſubtiliſſima. *Caput* acutum; vertex planus usque ad apicem roſtri, medio longitudinaliter carinatus. *Iris* oculorum luteo-argentea. Opercula lævia. Nares ad apicem labii ſuperioris è foraminibus duobus conſtantes: *Naſus* prominens ultra mandibulam inferiorem, quæ brevior, anguſta & acuta. *Os* magnum, intus læve, lingua mandibula inferiori paulo brevior, acuta, apice ſoluta; ſupra hanc branchiæ terminantur ſetaceæ. Apertura operculorum magna ſemicircularis, usque ad verticem capitis fere inciſa. *Membrana branchioſtega*, margini infimo maxillæ inferioris annexa, XII-radiata, radiis minutiſſimis. *Myſtaces* margine ſerratæ. *Abdomen* vix carinatum. *Pinnæ* omnes minutæ, pallidæ; *caudalis* biſurca. *Linea lateralis* recta, obſoleta. *Longitudo* infra ſpithamam.

SPO-

SPOLIA

E

MARI ADRIATICO

REPORTATA.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO

IOANNI LUCAE GARAGNINO,

ARCHIEPISCOPO SPALATENSI

(olim SALONITANO)

DALMATIAE

AC

TOTIUS CROATIAE,

OB

Venerandam DIGNITATEM,

Summam ERUDITIONEM,

Singularem HUMANITATEM

ET

Maximam BENEVOLENTIAM

EX

GRATO ANIMO

CONSECRAT

TANTI NOMINIS

DEVOTISSIMUS CULTOR

MART. TH. BRUNNICHIUS.

Aliquam hujus maris notitiam debemus inter alios immortali VITALIANO DONATI *), qui multum temporis iteratis per *Dalmatiam* itineribus impendit, ibique teſtimonio celeberrimorum Virorum totam regionem inde a fundo maris uſque ad cacumina montium incredibili perſcrutatus eſt diligentia. Deinde mandato PRINCIPIS Taurinenſium, qui eum antea Profeſſorem elegerat, *Aſiæ* partes varias ſocietate ſtipatus viſitabat. In patriam demum reverſurus inopinata morte in *ſinu Perſico* fuit exſtinctus, quem *Padua* olim produxit. Obſervata & manuſcripta itinerum nulla unquam apparuere, vel quia furtim ablata, vel in barbara natione deperdita. Sic forte mitigabitur ſeverum illud judicium, quod de eo tulit *celeberrimus Zoophytorum Syſtematicus Dnus* P. S. PALLAS **). Me autem iſtiusmodi cenſura libe-

 rum

*) Librum ſcripſit ſub titulo: *Saggio della ſtoria naturale marina dell' Adriatico*, *Venet.* 1750. 4. c. tabb. æn.

**) - - - - DONATUM qui maris adriatici divitiis gravis ſordidulum in naturalis ſcientiæ ærarium tributum contulit - - - - *Elench. Zoophyt.* præf. p. X.

rum puto ob breve tantum aliquot ſeptimanarum ſpatio abſolutum in *Dalmatia* iter, nec diutius me detinuerunt *Italiæ* & *Iſtriæ* littora, quæ *mari adriatico* patent. Ipſum quoque anni tempus, *Octobris* ac *Novembris* menſis obſervationibus circa corpora marina inſtituendis haud adeo reperitur idoneum. In his ſpoliis hiſtoriam maris quærat nemo, quippe quæ non niſi ut ſupplementum obſervationum, quas olim ſuppeditabat piſcatorium Maſſilienſe, inſervire volo. Ideoque nil attuli vel deſcripſi, quod non novum aut à notis diverſum exiſtimavi. Auctorum hic neceſſaria obſervata, *Ginanni* Zanichellii, Bohadſchii et aliorum non aderant. Divitiarum maris Adriatici ſolum quaſi hodiernum æſtimatorem *celeberrimum* IANUM PLANCUM adibam, in cujus muſeo & docta converſatione ingens pro ſtudiis inveni ſolamen. ILLE me in littore Ariminenſi, lynceo ejus oculo expoſito & veſtigiis æternis notato, cognoſcere & legere docuit *cornua Ammonis* varia cum aliis e mari ejectis reliquiis.

Viennæ Auſtriæ d. 29 Januarii 1768.

I. TESTU-

1. TESTUDO LUTARIA.

TESTUDO pedibus ſubpalmatis, cauda corpore dimidio breviore, teſta planiuſcula, intermediis ſcutellis carinatis.

DESCR. *Teſta* ovalis longitudine dimidii pedis, *ſupra* è plana convexa, fuſca, ſtriis margineque flaveſcentibus. *Scutella* longitudinaliter numerata 5, horum intermedia 3. poſtice leviter carinata. *Teſta inferior* plana, flavens, poſtice truncata. *Pedes* ſquamis, cuti adnatis, tecti; *digiti* palmarum 5, plantarum 4, omnes inprimis palmarum, membrana natatoria connexi. *Cauda* corpore dimidio brevior. *Corpus*, ubi a teſta non tegitur, nigrum punctis luteis frequenter maculatum. *Longitudo* fere pedis.

NOT. Ad ripas fluminis *Salonarum* eam obſervavit *Generoſiſſimus Comes* MILLESII, ejusque et ſequentis ova in uno eodemque loco poſita obſervavit. Diverſa videtur, quæ fluvios *Bohemiæ* & *Moraviæ* inhabitat, id quod è ſcutorum dorſalium figura conjectare licet; reliquis notis multo conveniunt.

2. TESTU-

2. TESTUDO GEOMETRICA.

Testudo teſta gibba teſſellata, ſubtus poſtice acute emarginata, pedibus fiſſis, cauda breviſſima.

Descr. *Teſta* ovata admodum gibba nigra, *ſcutella* elevata, medio macula magna trapeziformi flava, quæ ſtriis concoloribus undique circumdatur. *Margo* teſtæ latior, flavo nigroque alternatim pictus. Emarginatio teſtæ antica ob lobum exiguum prominentem vix obſervatur. *Teſta* poſtice rotundata integra, ſubtus flaveſcit; *ſternum* emarginatione magna acute inciſum. *Digiti* palmarum 5, plantarum 4, unguiculati, fiſſi. *Cauda* breviſſima vltra teſtam vix prominens. *Longitudo* pedem non æquat.

not. Frequens ſatis per totam *Dalmatiam* occurrit.

3. LACERTA MAURITANICA.

Lacerta cauda ſub verticillata brevi muricata, apice lævi; corpore ſupra muricato, digitis ſubtus lamellatis muticis.

Italis TARANTOLA dicitur, quod nomen non eſt confundendum cum *Tarantella* quod araneam Apulienſem ſignificat.

NOT. *Florentiis* & alibi *Italiæ* frequens eſt lacerta, degit in hortorum & platearum locis obſcuris, ſed ingruente veſpera muros ſcandit.

4. TRICHIURUS LEPTURUS.

B-- D-- P-- V-- A-- C--

TRICHIURUS corpore argenteo.

Dalmatinis GALERE italico idiomate vocatur; hoc nomen quoque commune eſt in *Italia* aliis piſcibus corpore elongato præditis.

NOT. Satis notus nec infrequens in littore & inſulis *Dalmatiæ*, ſed ob carnem minus bonam a piſcatoribus ſemper in mare ejicitur. Colore ſuo argenteo manus tangentium fertur obducere. Reliquia ejus exſiccata vidi apud celeberrimum Iadrienſium Medicum Dr. Dnum *Antonium* DANIELLI, qui, præter collectionem naturalium, muſeo gaudet antiquitatum ditiſſimo & ſplendidiſſimo. Ex ſpecimine piſcis, injuria temporis nimis lacero, nil certæ deſcri-

deſcriptionis formari potuit. *Longitudo* 3. circiter ſpithamarum.

5. GOBIUS JOZO.

B-- D. 6. 14. P. 19. V. 12. A. 15. C. 15.

GOBIUS corpore nigricante pallido, maculis lateralibus rubris, pinnæ dorſalis anterioris radiis elongatis ſetaceis.

Anconitanis GO vel GOATO.

DESCR. Reliquis hujus generis ſpeciebus ſimilis. *Color* nigricans ad pallidum vergit. Maculæ rubræ per plures ſeries longitudinales in lateribus diſpoſitæ. *Iris* oculorum luteo-virens. *Pinna dorſalis antica* alta, radiis longis ſetaceis ultra membranam multum eminentibus. *Pinna dorſi poſtica* radiis conſtat XIV.

6. SPARUS PAGRUS.

B-- D. $\frac{12}{22}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{12}$. C. 17.

SPARUS argenteus rubro faſciatus, corpore pone pinnam dorſalem & analem per ſinum anguſtato.

Anco-

Anconitanis ARBORETTO.

Dalmatinis ARBUN.

DESCR. *Corpus* ovato-oblongum; poſtice, ubi terminatur pinna dorſi & ani, angulo inciſo abrupte coanguſtatum: *Color* argenteus faſciis læte rubris varius. *Caput* declive obtuſum: *Maxillæ* multidentatæ, *inciſores* ſuperiores IV. majores acuti, inferiores plures. *Frons* plana, cui ante oculos inſidet luna cœrulea. *Iris* oculorum fulva, ſuperne faſcia transverſa brevi interrupta. *Pinnæ* pallidæ. *Longitudo* 3. pollicum.

7. SPARUS CANTHARUS.

B. 6. D. $\frac{11}{24}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

SPARUS argenteus longitudinaliter obſcure multilineatus, inciſoribus laniariisque acutis.

Italis CANTARO.

DESCR. *Corpus* ovato-oblongum argenteum, lineis plusquam 20. fuſcis longitudinaliter per latera vittatum. *Linea lateralis* lævis fuſca pro curvatura dorſi leviter arcuata. *Iris* oculorum argentea. *Maxillæ* æquales: *Dentes* in utraque

maxil-

maxilla per plures ordines diſpoſiti; *antici* ſupra decem acuti reliquis majores. Maxillæ inferioris *dentes laniarii* utrinque quatuor validi, *inciſores* cum reliquis minores. *Pinna caudæ* bifurca una cum *ceteris* pallida: *Ventralium* ſpina vix pungens. *Longitudo* 2. ſpithamarum.

8. SPARUS DENTEX.

NOT. An idem cum *Dalmatinorum* DENTALE DELLA CORONA, qui in mare ad *Sebenicum* certo anni tempore ſæpius occurrit. Deſcribitur ab autoptis ut *Sparus Dentex*, à quo differre narratur magnitudine 3. v. 4. pedum, & tuberculo inter oculos prominente, quod nonnulli diademati DUCIS *Venetum* figura ſimile ſibi imaginantur, hinc forte Italicum piſcis hujus nomen originem duxit.

9. SPARUS MORMYRUS.

B. 6. D. $\frac{11}{24}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. 17.

SPARUS maxilla ſuperiore longiore, corpore argenteo, faſciis transverſis pluribus fuſcis.

Salv.

Salv. piſc. 183. 66.

Ichthyolog. Maſſil. 64.

DESCR. *Corpus* oblongum argenteum, qui color in capite nitidus, pone illud faſciæ ductæ XIV. transverſæ fuſcæ, a dorſo incipientes & in abdomine evaneſcentes. *Caput* antice acutius, *maxilla ſuperior* ultra inferiorem paulo prominens. *Os* dentibus multis inſtructum. *Pinnæ* pallidæ; *caudalis* bifurcata margine extremo nigra. *Longitudo* ſpithamæ.

10. LABRUS - - -

B.– D. $\frac{15}{25}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{13}$. C. 13.

NOT. VARIETATEM puto *Labri*, quem deſcribit *Ichthyologia Maſſilienſis* n. 73. interim deſcriptionem, quam de hoc ſumpſi, utpote aliquo modo variantem, ſubjungam.

> Dalmatinis PIRCA, diverſa ab alia ſpecie minuta coloris olivacei, quæ LUMBRAK illis dicitur.

DESCR. *Corpus* ovatum compreſſum ex obſcure rubro & viridefcenti-argenteo quaſi reticulatum & faſciatum. *Iris* oculorum ſmaragdini coloris marginibus igneis. *Labia* magna;

gna; *os* non protractile. *Dentes* remoti, validi, obtuſiores. *Caput* & *opercula* lineis rubris & viridibus obliquis alternatim faſciatum. *Pinna dorſi* viridi rubroque faſciata, pone ſpinas maculæ duæ atræ remotæ, marginibus rubris iridum inſtar circumdatæ. *Pinnæ ani* & *ventris* vireſcentes rubro radiatæ, *pectorales* fulveſcentes. *Caudalis* integra rufeſcens. *Longitudo* 3. pollicum.

11. LABRUS - - -

B. 6. D. $\frac{10}{22}$. P. 14. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{10}$. C. 17.

LABRUS corpore transverſim faſciato, pinna dorſali antice X-ſpinoſa, poſtice nigro ocellata.

DESCR. *Corpus* pallidum faſciis 4 fuſcis latis transverſis pictum; *caput* lineis fulvis longitudinaliter obliquis ornatum. *Dentes* ſubtiles acuti. Labia vix duplicata. *Operculum* anterius ſerratum. *Iris* flaveſcens. *Pinna dorſalis* pone medium ocello nigro notata. *Ventrales* & ani nigræ, *analis* apice flava. *Longitudo* 3. pollicum.

NOT. Speciem hanc apud LINNEUM haud deſcriptum invenio. In mari circa *Spalatum* capitur.

12. SCIÆNA UMBRA.

B. 7. D. $\frac{10}{10}$, $\frac{1}{27}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{2}{10}$. C. 17.

SCIÆNA pinnis dorſalibus ſubunitis, corpore è fuſco aureo, atomis nigris irrorato.

Italis UMBRA.

Spalatenſibus CAVALLA.

NOT. *Varietas* ſine dubio eſt *Sciænæ umbræ* Maximos pede longiores vidi in mari circa *Melatam* inſulam.

13. TRIGLA . . .

B. 7. D. $\frac{10}{10}$. 16. P. 10. 3. V. $\frac{1}{6}$. A. 16. C. 12.

TRIGLA corpore ſquamis verticillato, linea laterali aculeata, pinnis pectoralibus ſubtus nigris.

Spalatenſibus LASTOVIZA.

DESCR. *Corpus* totum ſquamis verticillatim tectum. *Linea lateralis* elevata, aculeata. *Color* corporis ruber maculis faſciiſque nigris; *venter* albeſcens. *Caput* radiato cælatum, ſpinis exiguis ſupra oculos armatum, ceterum læve. *Roſtrum* vix bilobum potius retuſum, non ſpinoſum. *Maxilla inferior* paulo brevior, utraque dentata. *Pinnæ dorſales* pallide rubro nebuloſæ: *Pectorales* longæ, ultra anum extenſæ, ob radios ſubæquales quaſi truncatæ, ſupra fuſco ſubfaſciatæ, ſubtus nigræ, ſeriebus punctorum & margine cœruleæ; *ventrales analisque* apice in nonnullis nigræ, in aliis albæ totæ. *Longitudo* ſpithamæ.

NOT. Corpore ſquamis verticillato ſatis notabilis redditur ſpecies hæc, ſi aliis non competat character; quod ulterius eſt examinandum.

14. ESOX SPHYRÆNA.

B. 7. D. 5. 10. P. 12. V. 6. A. 11. C. 18.

ESOX dorſo dipterygio.

Salv. piſc 69. 9. Figura pinnam dorſi unicam habet, ſed in deſcriptione recte duarum fit mentio.

Ichthyo-

Ichthyolog. Maſſil. n. 94.

Descr. *Corpus* elongatum, ſubteres, argenteum. *Caput* ſupra planum, ſulcatum lineis elevatis longitudinalibus. *Maxilla inferior* ultra ſuperiorem valde prominens, mentis acuto lobo terminatur. *Iris* oculorum alba. *Pinnarum* dorſalium radii ſimplices, molles, non pungentes. *Linea lateralis* ad angulum aperturæ branchiarum incipiens antice parum declinatur, & denique recta per medium corporis excurrit parum elevata, coloris argentei magis ſplendentis. *Anus* poſtice. *Caudæ pinna* bifida. *Longitudo* fere ſpithamæ.

Not. In mari circa *Salonas Diocletiani*, ubi flumen in mare ſeſe exonerat, haud eſt infrequens.

15. CLUPEA - - -

B. 8. D. 14. P. 14. V-- A. 24. C. 19.

Clupea maxilla ſuperiore longiore, faſcia laterali argentea.

Descr. Facies & figura omnino *Clupeæ Encraſioli*, ſed differt numero radiorum pinnalium & faſcia longitudinali argentea, qua *Atherinæ hepſeto* ita ſimilis evadit, ut ſemper invicem à piſcatoribus confundantur, ideoque mixtim vendantur, licet capitis ſtructura & maxilla ſuperiore longiore multum ab eo recedat noſter, illis characteribus *Encraſiolo* accedens. Primum obſervavi circa *Senegalliam* & plures demum in portu *Spalati*. Exſpiranti ſtatim corrumpitur abdomen, hinc de pinnis ventralibus nil afferre potui. Forte hunc piſcem examinavit *Celeb.* Gronovius pro *Argentinæ ſphyrænæ* varietate *Muſ. 2. n. 152.* quod anſam dedit tantæ differentiæ in numero radiorum pinnalium, qui loco citato apud Gronovium fere conveniunt cum noſtro piſce. Veſiculo aëreo argentato non gaudet. *Longitudo* 4. pollicum.

16. CANCER carinatus.

Cancer macrourus, carina dorſali longitudinaliter elevata ſerrata, ultra caput in formam ſerræ producta.

Dalmatinis SKILLA, nomen etiam *Squillæ* ordinariæ commune.

DESCR. Facies & magnitudo *Canceris Squillæ Thoracis* latera lævia, ſpina unica utrinque armata; *Dorſum thoracis* carinatum, carina ſerrata dentibus prominet & in ſerram brevem apice obtuſam dentatam ultra oculos prolongatur. *Manus* chelatæ digitis æqualibus. *Abdominis ſegmenta* omnia lateribus cælata, dorſo carinata, carina primi & ultimi ſegmenti in ſpinam terminata. *Cauda* acuta foliis lateralibus utrinque duobus. *Antennæ* longæ.

NOT. Capiebatur ſpecies hæc, mihi nova & antea non deſcripta, in ſinu maris juxta *Salonas*.

17. CANCER HIRTELLUS.

CANCER brachyurus, thorace ſubhirto antice ſpinoſo utrinque 5-dentato, manibus extus muricatis apice atris.

Dalmatinis BIRAZ.

DESCR. Statura & facies *Canceris mænas.* *Frons* multiſpinoſa. *Thoracis* latera utrinque 5-dentata, dentes & regio ſuperjacens ſpinis muricata. *Pedes* acuti. *Manus*, inprimis dextra, extus muricatæ. *Digiti* manuum nigri.

NOT. Frequens eſt in littore inſulæ *Brazza*, portui ſpalatenſi aliquot leucarum intervallo oppoſitæ. Manuum digiti pro febre à Dalmatinis intus ſumuntur pulveriſati.

18. CANCER CRUENTATUS.

CANCER brachyurus, thorace tuberculoſo ſanguineo, roſtro lineari truncato.

NOT. In mari adriatico circa *Parentios Iſtriæ* obvius. Lithophytis ſemper incruſtatur, quod in pluribus ejus ſpeciminibus obſervavi apud *Illuſtriſſimum* & *Reverendiſſimum Epiſcopum Dnum* DE DOMINIS, qui *Parentiis* muſeum poſſidet pictura, antiquitate & natura illuſtre; ob præſtitos favores publicas hic perſolvo gratias.

Cance-

Canceres alios in mari adriatico obvios, ſufficit ex Syſtemate Linneano enumerare.

CANCER RHOMBOIDES in littore Spalatenſi.

DEPURATOR ubique obvius.

ARANEA ad *Anconam* frequens.

GAMMARUS ibidem *Argano* dictus.

NORVEGICUS Anconitanis ARGANELLO.

MANTIS Venetis & Anconitanis GRANOCCHIA dictus.

* * *

19. MEDUSA OCTOPODIA.

MEDUSA orbicularis limbo emarginato violaceo, diſco convexo, ſubtus foraminibus 4. & brachiis 8.

DESCR. *Corpus* orbiculare album ab utraque pagina convexum, *limbus* tenuior emarginationibus circiter 50. violaceis inciſus. *Su-*

perficies ſupra integra, ſubtus procul à margine in diſco convexo perforatur foraminibus reniformibus 4. in crucem diſpoſitis: *Diſci* medium octopodum, *pedes* è baſi communi orti, ultra marginem corporis extenſi, ſinguli craſſi albi pellucidi, aucti intus lobo verrucoſo unico lateraliter usque ad baſin deducto, extus lobis duobus verrucoſis infra apicem loviſſimum usque ad medium longitudinaliter decurrentibus, infra hos ſpatio ſatis remoti ſunt duo alii lobi ſ. alæ majores etiam verrucis obſitæ. Pedum color albus pellucidus, verrucæ autem violaceæ: Apex ſinguli pedis v. brachii lævis & aquæ inſtar congelatæ pellucidus. Spatium centrale inter pedes ſuturis conſtat dichotomis ex baſi pedum ortis, in duplici dichotomia conjunctis & tandem in linea centrali unitis. *Magnitudo* diametri totius corporis pedem efficit. *Craſſities* fere dimidii pedis. *Parietes* diſci pollicem craſſitie æquant. Corpus in diſco apertum videbatur ex branchiis totum conſtare; intra corpus *Mulli* proles exigua inveniebatur.

NOT.

NOT. Frequens in littore inſulæ *Lido* prope *Venetias*, ubi a mare relinquitur. Speciem hanc ſi antea deſcriptam neſcio.

MOLLUSCA reliqua, quæ vidi, antea examinarunt & luci dederunt alii, quibus melior fuit occaſio, nec deſunt, qui varia hujus maris deſcripſerunt TESTACEA & ZOOPHYTA quorum brevem ſubjungam ſciagraphiam.

Littorum lapides terebrant *pholadis* ſpecies minutæ, argillam Anconitanam, indurationi proximam, perforat *Mytilus lithophagus*, qui incolarum epulas feriis eſurialibus ſub nomine *Dattilo* intrant, hujus aliquot intra lapides *Dalmatiæ* quoque inveni teſtas. *Pinnæ* Dalmatinis *Laſturi* dictæ extremitate ſua acuta ſcopulis infixæ ſub aquis hærent, ſed valvulas hiantes pertica intromiſſa connivent, & ſic è mari limpido vernali tempore extractæ carnem ſufficientem,

byſſum

byſſum paucam incolis præbent. Cancerem conchæ inhabitare, nota illis res eſt, ſpeciem neſcio. *Solen legumen* in littore Italico cum *Tellinarum Venerumque* fragmentis legitur frequens. *Spondylus* gæderopus & *Chamæ* ſpecies laceræ ſcopulis eorumque cruſtis adnaſcuntur. *Arcam Noæ* circa *Spalatum* ſub nomine Slavonico *Muſſul* vel ſpecialiori *Pisdiſu* cum aliis haud raro expiſcantur. Inter *pectinatas oſtreas* nulla frequentior eſt *Plica*, cujus centenarias teſtas una cum *vulgari rudi* & *Anomiæ* ſpeciebus in portum *Iadriæ* è culina rejectas vidi. *Mytili* imprimis *edules Venetiis* abundant, horum autem defectum ubique ſupplet *Venus literata. Argonautæ* ſpecies auſtralis non ſemper occurrit. *Nautili* minuti cum aliis teſtaceis exiguiſſimis maxima copia & ſpecierum varietate inhærent ſabulo, a quo paſſim teguntur littora inſulæ *S. Archangeli*, *Tragurium* inter & *Sebenicum*, nec alia Dalmatiæ littora relinquit immunia. Hujus ſabuli aliquam quantitatem obtuli acutiſſimis oculis *celeberrimorum Iani* PLANCI & *Ferdinandi* BASSI, qui dudum aliud ſimile in littore Italico obſervarunt, ideoque facilius nova, quæ ſint, indagabunt. *Cypræa monetæ*, in filorum ſeries ductæ, monilia præbent pectori fœminarum in *Morlacchia*, puellæ eas inter ornamenta capitis, non velati, geſtant. *Bullæ* ſpecie nova, a PLANCO cum animali ſæpius

pius adhærente deſcripta, ſcatent littora Ariminenſia. *Buccina* & *Murices* ob animal inhabitans in fora portantur. *Trochus veſtiarius*, Anconitanis *Bombo*, & *muricatus*, illis *Occhio di S. Lucia* dictus, è mari ipſo extrahebantur, *perverſum* autem inter minuta *Dalmatiæ* teſtacea legi. *Coralliorum* piſcatura huc usque in mari ad *Sebenicum**) inſtituta ſub auſpiciis *Dni* GABIANI, jam ob anni tempus haud conveniens erat finita: Nec eodem gaudet ſucceſſu, quo in mari mediterraneo exercetur. *Acetabulum madreporæforme* creſcere in locis, ubi aquæ fluminum cum mari concurrunt, retulit mihi amicus, nec repugnare videtur MERCATUS**). *Madreporæ* oculatæ cum *Corallio rubro* haud raro extrahuntur. *Corallinæ pavonia, officinalis* & *rubens*, fucis immixtæ, maris fundum verſus littora veſtiunt; rarius occurrit *Opuntia*; *novam* alibi dabo. *Sertularias* præter *myriophyllum* in littus ejectum, vidi nullas. *Pennatula phosphorea* interdum communis eſt, raro obviam veniunt reliquæ.

Ceta-

*) Ibi extractum corallii ramulum poſſideo, cujus color lacteus, roſaceo vix tinctus, cortice tamen veſtitur miniaceo, ideoque naturalis eſt licet perrarus hic corallii color, de quo dubitavit olim MARSILIUS & adhuc incertam protulit ſententiam celeb. PALLAS *Elench. Zooph.* p. 228. *Maſſiliæ* quoque vidi integram ſtirpem coloris pallide roſei paſſimque cortice ſuo adhuc obtectam.

**) Confr. celeb. PALLAS in *Elench. Zoophyt.* p. 432. Frequentem hanc plantulam obſervavi olim in vadis ad littora prope *Caſſidem*, *Galliæ* oppidum. Recens pallide fuit cyanea, nec viridis uti ſuam deſcribit *Mercatus.*

Cetaceorum deſcriptionem non feci ullam, nec vidi, quos hoc anno in littore Fanoenſi & oppoſito *Dalmatiæ* reliquit mare. Ex *Phyſeterum* fuere genere Italis CAPO D' OGLIO dicta. *Delphini* ſatis frequentes retia intrant &, præda piſcatorum devorata, ea dilacerant viam pro exitu facientes. Occiſi condiuntur ſale & carnis inſtar bovinæ pauperibus inſerviunt.

Ex lingua Slavonica, qua *Spalati* utuntur, en pauca nomina piſcium addita.

SILLA, Syngnathus acus.
VISA Raja paſtinaca.
PIZI Sparus annularis.
PAGARO Sparus Sargus.
BURAKIA Perca marina.
BABBA, BABBIZA Blennius Gattorugine.
PAUK Trachinus Draco.